8 Syndicus & procurator.

His difficultatibus minime obſtantibus, vera eſt Gregorii Magni deciſio, ad cujus expoſitionem ſciendum eſt, quod ſicut privatæ perſonæ ad negotia in judicio peragenda procuratorem conſtituunt, *l. 1. & per totum ff. de procuratoribus*; ita univerſitas, monaſterium, ſeu collegium conſtituunt procuratorem, vel adminiſtratorem bonorum, quem appellant actorem, ſeu œconomum: ſi ad negotia in judicio pertractanda, appellant ſyndicum, ſeu defenſorem, *l. 1. §. quibus, ff. quod cujuſque univer.* docent Merillus *differentiarum c. 3.* Mancius *de ſyndicis, in principio*. Unde cognoſcitur differentia, quæ verſatur inter hunc titulum, & antecedentem; quia in illo agitur de procuratoribus privatorum, in hoc vero de procuratoribus, ſyndicis, ſeu defenſoribus univerſitatis, monaſterii, vel alterius communitatis, ut animadvertunt Gothofredus, Valenſis & Chaſſaneus *ad hunc tit.* Jure etiam civili qui reipublicæ, vel univerſitatis negotia adminiſtrant, dicuntur actores, *l. finali, ff. de officio Præſidis, l. cum aliquis 27. ff. de negotiis geſtis l. nec civitati 74. ff. de procurat.* licet alias differentias agnoſcant inter actorem & ſyndicum Mancius *ubi ſupra, n. 13.* Vveſembechius *ad tit. ff. quod cujuſque univer. n. 3.* qui autem ad negotia univerſitatis, ſeu reip. in judicio tractanda conſtituuntur, ſyndici, ſeu defenſores dicuntur, *d. l. 1. §. quibus, l. 1. §. 2. l. munerum, §. defenſores, ff. de muner. & honorib. l. ita 17. in principio, ff. ad Trebell. l. 8. ff. de pollicitationibus*: jure autem canonico, qui Eccleſiæ, aut monaſterii rationes curant, & bona admiſtrant, dicuntur œconomi, *c. volumus, 89. diſt. c. cum vos, de officio Ordin. c. Diaconum, c. indicatum, 79. diſt.* ſive caſtaldi, *cap. Salvator 1. q. 1.* plura de eis congeſſerunt Fileſacos *in d. c. cum vos*, Barboſa *l. 1. juris Eccl. c. fin.* Cæſar *de Eccleſiaſt. hierarch. q. 2. proœmialium, §. 5.* Qui autem negotia Eccleſiæ, ſeu monaſterii in judicio pertractat, dicitur ſyndicus, ſeu defenſor, *c. veniens 2. de in integrum reſtit.* cum aliis ſupra adductis pro illuſtratione concluſionis.

9 Syndicus a quibus conſtituatur.

Syndicum in judicio conſtituere poſſunt Reſpublica, Univerſitas, collegium, monaſterium; quia cum quælibet communitas, quantum vis approbata, perſonam non habeat, nec per ſe in judicio eſſet poſſit, neceſſe eſt unum eligere, per quem agat, ſeu ſe defendat, *c. 2. §. ſi judices, de in integ. reſt.* Cicero *1. in Verrem*, ibi: *Sicilia tota ſi una voce loqueretur, hoc diceret, quid auri quid argenti, &c. quoniam id non poterat, harum rerum actorem parum idoneum ipſa delegit*. Unde Athenienſes ſyndicum habuiſſe, ex Demoſthene probat Petrus Gregorius *d. l. 49. ſyntag. c. 5.* Ordo etiam decurionum ſyndicum nominare valet, *l. 3. l. item eorum 6. §. ſi decuriones, ff. quod cujuſque univerſ.* omneſque communitates permiſſæ, & approbatæ, quæ habent arcam communem, etiam ſyndicum deſignare poſſunt, imo & coguntur illum conſtituere, *l. 4. ff. de fideicommiſſ. libert.* docent Mancius *ubi ſupra, n. 15.* P. Mendo *l. 1. de jure academico, q. 73.* Circa formam autem electionis illud obſervandum eſt, videlicet ut omnes collegii, ſeu communitatis vocentur, & congregentur in locum publicum, *l. penult. C. de legation. l. 2. C. de decurionibus, l. 10.* & convocari debent ad ſonum campanæ, vel alio ſigno dato, quo ad ſimiles actus communitates convocari conſueverunt; abſentes autem, & impediti, jus præſtandi ſuffragium non habent, nec præſentium electionem per abſentes comprobari neceſſe eſt, *l. finali, C. de prædiis decur. l. 10.* Speculator *in tractatu de ſyndico, n. 2.* Et licet omnes ipſius communitatis præſentes vocari debeant, ex regula textus *in l. fin. C. de auctorit. tut.* tamen non omnium etiam præſentium in unum, eumdemque ſyndicum conſenſus deſideratur, ſed ſufficit majoris partis, *l. quod ſi major, ff. ad municipalem, l. nominatim, C. de decurionibus, l. 10. l. 3. ff. quod cujuſque univ.* docet Azevedus *notis ad Curiam Piſanam, l. 2. c. 18. nu. 14.* Nec etiam in ipſa ſyndici conſtitutione deſideratur, ut ſingulorum nomina exprimantur, ſed ſufficit ut dicatur a majori parte ſyndicum fuiſſe conſtitutum, ut docent Gaillus *l. 1. obſerv. c. 76.* Loſeus *l. 2. de jure univerſ. c. 1.*

10 Syndicus quis deſignari valeat.

Quoad perſonam autem, quæ poteſt ut ſyndicus conſtitui, illa generalis regula obſervanda eſt, videlicet eos omnes a ſyndici officio arceri, qui procuratores eſſe nequeunt, ut feminæ, milites, & ſimiles; Mancius *ubi ſupra, n. 48.* cum ſyndicus a procuratore tantum in eo differat, quod procurator a privatis, ſyndicus a communitate eligitur: nec tantum extraneus a Capitulo in ſyndicum eligi valet, verum & ille qui ex corpore communitatis eſt, *l. plane 4. ff. quod cujuſque univ. l. ut gradatim, §. ſed etſi, ff. de muneribus & honoribus*, ſi idoneus eſt, & negotiorum peritus; ut docent Vveſembechius *ubi ſupr. n. 5.* Mancius *n. 43.* Semel ac rite ſyndicus eſt electus pro ipſa communitate, ipſam debet defendere in omnibus cauſis, niſi mandatum ſpeciale exigant; licet enim cum libera facultate conſtituatur, tamen in his quæ egent ſpeciali mandato, debet illud ſpeciale adhiberi. Vveſembechius *ubi ſupr. n. 8.* Poteſt etiam ſyndicus juramentum deferre, & præſtare in negotiis communitatis; & etiam de calumnia jurare cogitur, *c. in pertractandis 3. de juramento calum.* non autem cogitur ſatisdare, ſicut procurator, *l. item 6. §. ult. ff. quod cujuſq; univ.* ubi gloſſa, & A. Faber: in aliis autem actionibus, ac defenſionibus idem dicendum eſt de ſyndico, ac de quocumque procuratore prædicatur. Nec contrarium probat textus *in d. l. item 6. §. actor*, in illis verbis, *judicati actio ei ex edicto non datur*; in quibus docetur, actionem judicati non dari ſyndico, ſeu actori, cum eam etiam directa detur procuratori, *l. in cauſa 27. in fine, l. ſi procurator 28. ff. de procurat.* igitur quia ſyndicus quoad judicia non habetur per omnia ut procurator. Nam huic difficultati, omiſſa A. Fabri ſolutione *in d. l. ſi procurator 28.* qui exiſtimavit, judicati actionem non dari ſyndico, aut procuratori; reſpondendum eſt, diſcrimen eſſe conſtituendum inter actionem judicati efficacem, & inefficacem, exceptione videlicet elidendam; actio enim judicati efficax procuratori, aut ſyndico non datur, *d. lib. item 6. §. actor*; inefficax vero, quæ oppoſita a reo exceptione eliditur, procuratori, ſeu ſyndico competit, ut docet Oſualdus *l. 18. Donelli, c. finali litt. B*, & ſic de efficaci actione accipiendus eſt textus *in d. l. procurator*; de inefficaci vero textus *in d. §. actor*.

11 Traditur ratio decidendi.

His ita præmiſſis, ratio præſentis deciſionis ultra illam generalem, quam ſupra adduximus, videlicet quamlibet communitatem per ſe agere, aut defendere in judicio non poſſe; & ita neceſſario debere ſyndicum conſtituere, provenit ex vita, & profeſſione monachorum; cum enim eorum diſciplina ſit divinis officiis vacare, ab ſtrepitu vero judiciorum abſtinere, *c. 1. ne clerici, vel monachi*, & alienum ſit a regulari converſatione, ſi ſe concertationum forenſium velint peritos oſtendere, *l. Conſulta, C. de teſtam. l. repetita, C. de Epiſc.* ideo debent non per ſe, ſed per ſyndicum monaſterii negotia procurare, aut potius illa deſerere, quam ſe illis implicare. Facit ad rem celebris auctoritas Petri venerabilis Eremitæ Carthuſienſis, qui *l. 6. ep. 18.* ita ſcribit: „ Quid ad nos, iſta Carthuſienſis Ordinis inſtitutio eſt mala, ſi qua noverint iis, ad quos ſpectant, nota facere, non autem litigare. Eorum eſt ſimpliciter quod ſentiunt dicere, non autem palatia ad accuſandum intrare: non eſt eremi noſtri judiciis adſtare; non eſt eorum qui mortui mundo videntur, in publicis negotiis actores, vel defenſores exiſtere: nihil ſimplicitati noſtræ cum malitia ſæculari; nec decet, ut qui in ſæculo eremum elegimus, nunc de eremo ad ſæculum redeamus, ut ſponte cunctis nolentibus & reclamantibus judicum nos tribunalibus ingeramus. “ Recte ergo Greg. Magnus in præſenti jubet monachis ſuis, ut potius ſalario conſtituto ſyndicum eligant, per quem negotia monaſterii tractentur, quam ſe forenſibus negotiis immiſceant.

12 Reſpondetur difficultatibus.

Nec obſtant difficultates ſupra expenſæ. Non prima; nam licet juxta proxime tradita potius monachis expediat ſyndicum conſtituere, quam per ſe negotia forenſia tractare; hoc tamen ad honeſtatem pertinet, non autem omnino ad neceſſitatem: quare aliquando, veluti ob ſummam paupertatem, ſi non poſſunt ſyndicum conſtituere, quia unde ſalarium conſtituant, non habent, negotia per ſe procurare valent, ut in præſenti docent communiter repetentes, Vivianus etiam, & Valenſis hic; quo caſu accipiendi ſunt textus *in d. c. monachi, c. 2. de poſtulando*. Nec etiam obſtat ipſius difficultatis argumentum, quia jura in eo adducta non loquuntur in ſyndico ad negotia temporalia in judicio diſceptanda; ſed in œconomo, ſive generali adminiſtratore in locum abſentis Prælati, vel tempore, quo vacat Eccleſia, deſignato; laicus enim non poteſt eſſe generalis adminiſtrator in locum Prælati abſentis, ut ſupponit noſter Gregorius *l. 7. ep. 66.* debet enim hoc officium committi clericis idoneis, nulla improbæ vitæ ſuſpicione notatis, *c. indicatum, d. 89.* ii debent eligi ab Epiſcopo, *cap. cum ſimus 9. q. 3. c. cum vos 4. de officio Ordinarii*, & plerumque de gremio ipſius Eccleſiæ, *d. c. quia in quibuſdam*. Quare recte ſtatutum fuit in Conc. Chalcedon. relato *in d. c. quia*, ut laici non poſſint præponi adminiſtrationi rerum Eccleſiæ. Plura de his œconomis adducunt Fileſacus *in d. c. cum vos 40. §. de officio Ordinarii*: Barboſa *l. 1. de jure Eccleſiaſtico, c. ult.* at vero quoad negotia temporalia (ut ſunt quæ in foro tractantur) laici nominari, & conſtitui ſyndici poſſunt. Nec obſtat ſecunda difficultas contra ſecundam partem præſentis concluſionis adducta; quia licet illis, quibus mandatur negotiorum adminiſtratio, non poſſit aſſignari certum ſalarium, *d. l. ſalarium 7.* quia mandatum gratuitum eſſe debet; & ſi ſalarium, aut ſtipendium aſſignaretur, mandatum excederet fines; & in contractum locationis tranſiret, *l. ſi tibi 24. ff. præſcriptis verbis, leg. 1. C. mandati, §. fin. Inſtit. eodem tit.* tamen perſonis, quibus conſuevit ſalarium aſſignari, conſtitui poteſt, *l. 1. C. mandati, lib. 1. §. ſicuti, ff. de variis & extraordin. cognit.* docent Pancirola *l. 2. var. c. 150.* Marcellus Donat. *in notis ad Svetonium in Auguſto, c. 32.* quare ſyndico recte conſtitui poteſt ſalarium; & ſic in præſenti S. Gregorius ſcribit Fauſto ſalarium eſſe conſtituendum.

13 Intelligitur textus in c. inſuper 9. de teſtibus & atteſtationibus.

Sed ſupradictæ concluſioni obſtat textus *in c. inſuper 9. de teſtibus, & atteſtationibus*; ubi Priori, & Fratribus ſanctæ Trinitatis monaſterii reſcribitur, ut in cauſis ſui monaſterii poſſint unum, aut duos monachos ad agendum & defendendum nominari, qui actores, ſeu reſponſales dicuntur; & illi non poterunt, ut teſtes adhiberi in cauſa, quam ut reſponſales peragunt; alii vero monachi poterunt pro monaſterio teſtificari. Ex quo textu expreſſe deducitur, ipſos monachos poſſe in judicio cauſas monaſterii tractare, & defendere: ergo non recte docemus in noſtro textu monachos debere ſyndicum conſtituere ad agendum, & defendendum. Cui difficultati ex ſupra traditis ſatisfaciendum eſt aſſerendo, præſentem textum procedere tantum de honeſtate, non vero de neceſſitate: & ſic juſtis ex cauſis poſſe monachos ipſos negotia ſui monaſterii in judicio procurare, ut *in d. c. ſuper*. Quomodo autem in eo textu monachi poſſint in propria cauſa teſtificari, non eſt noſtri inſtituti examinare: videndi ſunt Farinacius *de teſtibus q. 6.* Balboa *in cap. tertio loco, de probationibus*, Seſſe *deciſ. 169.* Everardus Bronchorſt. *cent. 1. aſſert. 49.* Eadem ſolutione accipiendus eſt textus *in c. cum deputari 16. de judiciis*; ubi cum agatur de Templariis, de quibus *in c. 3. c. petiiſti 20. de privil.* & quidam ex eis fuiſſent propoſiti Præceptores in quibuſdam domibus ſuæ religionis, cauſas procurabant in judicio; & cum judices noluiſſent

eos

eos tamquam procuratores admittere, quia licitum non erant illis forenſium cauſarum curam agere, qui pacificis decreverant ſtudiis inhærere, Innocent. III. juſſit prædictis, ut eos ad agendum, & defendendum admitterent. Cujus deciſionis ratio provenit ex proxime traditis; nam licet honeſtum non eſſet Templariis negotiis ſæcularibus ſe immiſcere, tamen cum negotia eſſent proprii monaſterii, ideo potuerunt etiam in judicio ipſa procurare, ut poſt Hoſtienſem docuit Felicianus Vega *in d. c. cum deputari*. Etiam juxta eamdem doctrinam accipiendus eſt textus *in c. præterea 2. de tranſact.* in illis verbis: *Fratres illi ſeſe conſiſtentes in jure*, &c. Ex quibus verbis deducitur, monachos per ſe, nullo ſyndico deſignato, in judicio comparuiſſe, quod ex ſupra traditis procedit; nam cum præſens Gregorii deciſio tantum loquatur de honeſtate, non vero neceſſitatem importet, ideo monachi in illius textus ſpecie potuerunt per ſe, nullo ſyndico deſignato negotia ſui monaſterii in judicio defendere.

14 Exponitur c. 2. de in integ. reſt.

Secundo ſuperiori aſſertioni obſtat textus *in c. cum veniſſet 2. in integ. reſt.* in illis verbis: „ Sed judices auctoritate Apoſt. monachis injunxerunt, ut ſyndicum, ſeu procuratorem eligerent, qui in cauſis monaſterii, & conſultatione ageret, & utiliter reſponderet. “ Quæ verba duas & magnas continent difficultates. Prima militat adverſus ſolutionem ſupra traditam; nam ſi monachi per ſe cauſas ſui monaſterii procurare poſſunt cum licentia ſui Superioris, & etiam ob honeſtatem debent ſyndicum nominare, quomodo judices in eo textu monachis injunxerunt, ut ſyndicum eligerent? ſiquidem ipſi cauſam agebant, & proſequabantur jam cœptam coram Romano P. igitur monachi non tantum de honeſtate, verum de neceſſitate debent ſyndicum eligere. Secunda difficultas ex dictis verbis naſcitur; nam ſupra diximus, magnum eſſe diſcrimen inter procuratorem, & ſyndicum; ſiquidem procurator eſt deſignatus a privatis ad negotia in judicio tractanda, ſyndicus vero conſtitutus a communitate: ergo non recte judices in eo textu confuſe jubent monachis, ut conſtituant ſyndicum, aut procuratorem, cum tamen ſyndicum ex ſupradictis nominare poſſint. Etiam alia naſcitur difficultas ex eo, nam ſyndicus non poteſt conſtitui ſine licentia, & auctoritate Prælati, *c. cauſam quæ, de judiciis*, & ex noſtro textu conſtat: ſed in eo textu non erat Prælatus, qui ſyndicum conſtituerat, ſiquidem jam deceſſerat: ergo non poterat ſyndicus conſtitui. Primæ difficultati reſpondendum eſt, in eo textu monachos coram judicibus delegatis non comparuiſſe per ſe, unde judices illi indulſerunt, ut ſyndicum eligerent ad agendum & excipiendum; ſi autem ipſi per ſe, quia erat negotium monaſterii, voluiſſent comparere, audiendi erant, nec tunc cogerentur ſyndicum nominare. Secundæ difficultati ſatisfaciendum eſt concedendo, magnum eſſe diſcrimen inter ſyndicum, & procuratorem; ſed aliquando ſumi unum pro alio, quia ubi conſtat de poteſtate, & voluntate conſtituentis, parum de verbis curandum eſt, *c. petitio 9. de procuratoribus*. Nec obſtat ſecunda difficultas, ſi animadvertatur, in eo textu agi de electione Prælati monaſterio competenti, vel non; quare ob illam cauſam, ſicut & ob alias, ad monaſterium ſpectare ſede vacante potuit ſyndicum conſtituere, ut in eo textu notant Hoſtienſis, Cardinalis, & alii repetentes.

15 Exponitur textus in c. edoceri 21. de reſcript.

Deinceps ſuperiori aſſertioni obſtat textus *in c. edoceri 21. de reſcriptis*, in illis verbis: *Cum ex officio tenerentur congregationum ſuarum negotia in judicio procurare*. Ex quibus verbis depromitur, Abbates ratione officii teneri monaſteriorum negotia in judicio procurare: ergo nec monachi, nec ſyndici, ſed potius Prælati debent agere, & excipere in judicio cauſas monaſterii, ut adimpleant officium ſuum. Cui difficultati reſpondendum eſt, Abbatem, & quemlibet Prælatum teneri procurare negotia ſui monaſterii, tamquam bonus adminiſtrator; non tamen in judicio per ſe comparendo ad agendum, vel defendendum; ſed tantum per ſyndicum, aut procuratorem: neque illa verba, *negotia procurare*, inducunt neceſſitatem perſonalem, ſed tantum curam in electione perſonæ, per quam in judicio negotia procurentur.

T I T U L U S XL.

De his quæ vi, metuſve cauſa fiunt.

C A P U T P R I M U M.

Alexander III. a *Oſcen. Epiſcopo, & Priori ſanctæ* b *Mariæ Cæſaraug.*

RElatum eſt ad audientiam noſtram, quod cum quidam vir nobilis, prudens, &. potens A nomine M. mulierem de Oreja quondam uxorem ſuam *c* ſuſpectam haberet, fratri, & militibus *d* ſuis præcepit, ut eam longe ad privata loca deducerent, & gladio occiderent: quam cum ipſi ad quamdam ſilvam duxiſſent, & evaginato gladio eam occidere vellent, eadem ad pedes cognati cecidit, & ut ſibi vitam ſervaret lacrymoſa ſupplicatione rogavit. Cognatus vero miſericordia, & pietate ductus, ei ſub tali conditione pepercit, quod in monaſterio de *e* Colobres habitum monaſticum deberet ſuſcipere. Quo audito maritus ejus, quia reſervata erat ad vitam, grave plurimum tulit; ſed tamen poſtmodum acquievit. Sicque factum eſt, quod duos Epiſcopos *f* Cæſarauguſtan. & *g* Triaſcon. ut eam *h* benedicerent, & ei velum imponerent, ad monaſterium ipſum adduxit. Epiſcopi vero rem ignorantes, & quia *i* juvenis erat, & filium habebat parvulum, mutationem vitæ ſuſpectam habentes, eam ſeorſum convenerunt, quæ utique ipſis rem per ordinem patefaciens, quod mortis timore, & non bono animo monaſterium intrabat, Epiſcopis de morte ipſius timentibus, & quod ab ea audierant, propalare nolentibus, alter eorum, Tiraſſon. ſcilicet, ut viri illius tyrannidi ſatisfacere videretur, mulieri velum imponere ſimulavit. Tandem autem viro, & fratre de medio ſublatis, prædicta mulier de monaſterio exivit, & cuidam nobili P. videlicet de Camberis nupſit. Sorores autem cum reclamarent, & Epiſcopo *m* Calaguritan. conqueſtæ fuiſſent, & Epiſcopus non poſſet eam videre, nec ſuper his convenire; ad inſtantiam ſororum eam, & virum, quem acceperat, excommunicavit, & totam terram ejus interdixit, ignorans quomodo res proceſſiſſet: quam utique ſententiam ven. f. noſter *n* Tarraconenſ. Archiepiſcopus poſtmodum confirmavit. Nos igitur de honeſtate, & prudentia *o* veſtra confidentes, cauſam ipſam experientiæ veſtræ duximus committendam, & fine canonico terminandam. Ideoque diſc. v. per A. ſ. præc. m. quat. prædictam mulierem, & virum, recepto juramento, quod veſtro debeant ſtare mandato, ab excommunicationis vinculo abſolvatis: deinde tam mulierem, quam Prioriſſam, & moniales præſcripti monaſterii ante veſtram præſentiam convocantes, cauſam diligentiſſime audiatis, & fine canonico terminetis. Quud ſi legitime probatum fuerit, non timore mortis prædictam M. Religionem intraſſe, aut quod fecit, ratum poſtea habuiſſe, ipſam ad monaſterium redire, & habitum depoſitum ſumere, cenſura Eccleſiaſtica compellatis.

N O T Æ.

1 OScienſi.) Ita legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. c. 1.* & poſt Concilium Lateranenſe *part. 50. c. 13.* Oſcenſis urbs duplex reperitur in noſtra Hiſpania, alia dicta Oſca Bæticæ, vulgo *Gueſcar*, cujus meminerunt Ptolomeus *l. 2. geograp. tab. 1. c. 4.* & ibi Joſephus Moletius *f. 5.* Hieronym. Vuſcellus *f. 85.* Rodericus Caro *in notis ad chron. Flavii Dextri, an. 52. litt. I.* Alia eſt civitas pervetuſta in Celtiberia Hiſpaniæ citerioris, in Regno Aragoniæ, vulgo *Gueſca*; ejus topographiam tradiderunt ex antiquis Ptolomeus *l. 2. tab. 2. Europæ, c. 6.* Plinius *l. 3. hiſt. c. 3.* Strabo *l. 3. geographiæ*. Ex recentioribus Ludovicus Nonius *in ſua Hiſpania c. 83.* Didacus de Ainſa *lib. 1. hiſtor. Oſcenſis, c. 1.* De hac in præſenti agitur, quæ jam a primis Eccleſiæ temporibus Cathedra Epiſcopali decoratur: ejus Præſul Gabinius ſubſcripſit Conc. Tolet. 3.

2 b *S. Mariæ Cæſarauguſt.*) Cæſarauguſta, ſive Cæſarea Auguſta, ut vult Zurita *in notis ad Antonini itinerarium, pag. 533.* Salduba appellata ab Ortelio *in theatro, verbo Cæſarauguſta*, Auripa dicta ab Archiepiſcopo Toletano *l. 1. hiſtoriæ, c. 3.* Petro Antonino Beuter. *hiſtoriæ Hiſpan. t. 1. l. 1. c. 7.* civitas eſt perantiqua Hiſpaniæ citerioris, & nobiliſſima, in Edetanis, totius Regni Aragoniæ Metropolis, ab Auguſto Cæſare in coloniam deducta. Nonius *in ſua Hiſpania, c. 28.* Olim Regum fuit ſplendida Curia: eam debitis extollunt laudibus Ludovicus Lopez *in hiſtoria Cæſarauguſtana*, quem laudat Coronel. *in notis ad Gongoram, t. 3. pag. 435.* P. Merillus *de antiquitate Cæſarauguſt. l. 1. c. 1.* Tamayo de Salazar *in Martyrol. Hiſpaniæ, die 2. Januarii, & die 29. & Martii die 24.* Non minus celebre eſt apud omnes nationes templum B. Mariæ adhuc viventi ab Apoſtolo D. Jacobo dicatum, vulgo *du el Pilar de Saragoſſa*; quod conſtruxit juſſu Deiparæ Virginis ſuper columna, ſeu pilari inter Angelorum cantus viſibiliter apparentis, ut referunt & probant Mart. Delrio *diſq. mag. l. 2. q. 26. ſ. 4. pag. 223.* Iſella *in l. Reg. Milit. S. Jacobi, c. 3.* Vaſcus *in chron. anno 37. & 44.* Garibay *in compendio Hiſtor. Hiſpan. lib. 7. c. 2. & 4.* Vivar. *in notis ad Flavium Dextrum, anno 37. n. 3.* Michael Mertinez *in interpret. trium epigram. ipſius Eccleſiæ, pag. 79.* Alii quamplures, quos congerit Lezana *in juris alleg. pro ipſa Eccleſia Sancta Mariæ, in princ. pag. 7.* Hæc Eccleſia

Cano-

Canonicorum regularium fuit jam temporibus Innocentii II. ut late probant Lezana *ubi ſupra*, Pennotus *l. 2. hiſtor. canon. regul. c. 31. n. 3.* & manſit regularis uſque ad annum 1604. quo anno facta eſt ſæcularis.

c *Suſpectam habens.*) De adulterio videlicet, & ſic zelotypiæ furore accenſus, ut interpretatur D. Ant. Feloaga *in præſenti, veſtig. 1.* qui plura erudite de zelotypia cumulavit. Videndi etiam ſunt P. Serlogius *in Cantica, t. 3. pag. 544.* Philippus Camerarius *t. 1. horar. ſucceſſiv. centur. 1. c. 53. & cent. 2. c. 34.* Beyerlinc *in theatro vitæ humanæ, verbo Zelotypia.*

d *Milites.*) Ideſt beneficiarios ejus, & vaſſallos.

4 e *De Colobres.*) Legendum eſt *de Tulebras*; anno enim 1157. in oppido de Tulebras conſtructum fuit monaſterium Ordinis Ciſtercienſis, quod poſtea dictum fuit Divæ Mariæ de Charitate, ut conſtat ex quodam privilegio illi conceſſo a Sanctio Navarræ Rege æra 1195. in illis verbis: „ Ego Sanctius per „ Dei gratiam Pampilonenſium Rex, facio hanc chartam do„ nationis, ac textum ſcripturæ in perpetuum valiturum, Deo, „ & monaſterio S. Mariæ charitatis, quod antea vocabatur „ Tulebras, & vobis Dominabus ſanctimonialibus ibi nuper „ ſervientibus Deo, tam præſentibus, quam futuris, de toto „ illo Regaliſſimo de Tulebras, ut habeatis illum, & poſſi„ deatis vos, & omnes ſucceſſores veſtræ, tam præſentes, „ quam futuræ deinceps jure hereditario in perpetuum, & „ faciatis inde quidquid volueritis, ac quiete, &c.

5 f *Cæſaranguſt.*) Non exprimit Alex. III. an Eccleſiæ D. Mariæ Pilaris, vel Eccleſiæ ſancti Salvatoris. Pro cathedralitate utriuſque Eccleſiæ docte certatum & perpugnatum invenitur: pro Eccleſia D. Mariæ plura adduxit poſt alios Lezana in duplici allegatione, pro cathedralitate Eccleſiæ ſancti Salvatoris Frances Urrutigoyti *in tr. de unica cathedralitate Cæſaranguſtana.* Illud certum eſt, temporibus noſtri Alexandri Eccleſiam Cæſaraugustanam tantum Epiſcopalem fuiſſe, poſtea vero Joannes XXII. metropolitico jure decoravit, eique ſubjecit Oſcenſem, Tiraſſonenſem, Pampilonenſem, Calaguritanam, & Segoruenſem Eccleſias, ut ultra ſcriptores ſupra jam datos referunt Pennotus *l. 7. canonic. regul. c. 31. n. 3.* Boſquetus *ad Innocent. l. 1. epiſt. 77.*

6 g *Triaſcon.*) Legendum eſt *Tiraſſon*, ſive Turiaſſon. Tuiaſſo enim antiqua Hiſpaniæ civitas Epiſcopalis eſt, olim in Taraconenſi citeriori, hodie in Confinio Caſtellæ & Aragoniæ ſita; vulgo dicitur Tarazona; de ea nonnulla adduxerunt Roderic. *l. 1. hiſt. c. 5.* Tamayo *in Martyrol. Hiſpaniæ, die 28. Aprilis*, Boſquetus *in notis ad Innoc. III. l. 2. ep. 2. regeſtr. 14.*

h *Benedicerent.*) His enim temporibus Epiſcopi Sanctimonialibus velum imponebant, ac ipſas Deo dicatas conſecrabant, ut probavi *in c. 1. de temporibus ordin.*

i *Quia juvenis erat.*) Et ſic adhuc juvenilibus ardoribus ſubjecta, quorum improbos effectus referunt D. Antonius de Feloaga *in præſenti, f. 55.* Savarrus *in notis ad Sidonium l. 1. ep. 2. & l. 2. epiſt. 4. & l. 7. epiſt. 2.* Ludovicus Creſolius *lib. 2. myſtag. c. 3. ſect. 4.*

7 l *Propoſuit.*) Ideſt proteſtavit, unde nulla profeſſio poſtea emiſſa vires obtinebat; nam proteſtatio inducit ut actus, in quo adhibetur, nihil ultra intentionem operetur, *l. pro herede 20. §. 1. ff. de acquirenda heredit. l. & ſi quis 14. §. ſed interdum, in fin. de relig. & ſumpt. funer. leg. Neſennius 34. ff. de negot. geſtis, leg. alimenta 11. leg. quod in 13. l. ſi paterno 15. C. eod. l. ſi debitor 4. §. 1. ff. quibus modis pignus ſolvitur, juncta l. ſicut 8. §. non videtur, ff. eod.* Et licet proteſtatio in præſenti caſu facta non fuiſſet ipſi marito, aut militibus, qui eam ducebant; tamen cum ob metum, & majorem vim proteſtatio fieret, ſufficiebat ut coram honeſtis perſonis mulier proteſtaretur, ut *in c. fin. de appell. l. cum vero 26. §. 1. ff. de fideic. libert.* Docent Franciſcus de Ponte *conſil. 131. n. 138.* Iranzo *de proteſtatione, c. 47. n. 16.* Corraſius *in centuria Toloſana, c. 31.*

m *Calagurit.*) Eccleſia Cathedralis eſt in Cantabria, cujus originem, & Præſulum ſeriem refert Ægidius Gonzalez *in theatro ipſius Eccleſiæ.*

8 n *Tarraconenſis.*) Tarraco vetuſtiſſima Hiſpaniæ citerioris civitas eſt, vulgo dicta *Tarragona*, olim clariſſima Romanorum colonia, ut pluribus inſcriptionibus, & numiſmatibus probat magnus Ant. Auguſt. *dialogo 7.* ejus Archiepiſcopus jam a temporibus Caroli magni octo diœceſibus præeſt, ut refert Boſquetus ad Innoc. III. *l. 1. ep. 79.* plura de hac pernobili urbe tradunt Gerundenſis *l. 1. Paralipom. tit. de Tarracona*, Ludovicus Poente *in hiſtoria Tarracon.* Puiada *in hiſt. Catal. lib. 1. c. 22.* Tamayo a Salazar *in martyrol. Hiſp. die 2. Januarii*, & nos *in c. 24. de jurejurand.*

9 o *Veſtram.*) Licet enim temporibus Alex. III. clauſura monialibus indicta eſſet, & pluribus antea retro ſæculis, ut probat late Gibalinus *de clauſ. diſq. 1. c. 1.* tamen juſtis ex cauſis permittebatur egreſſus, uſquedum Bonifacius III. *in c. periculoſo, de ſtatu regul. l. 6.* omnem egreſſum prohibuit; quam prohibitionem poſtea confirmarunt PP. Concilii Trid. *ſeſſ. 25. de regul. c. 15.* Unde ut veritas cognoſceretur, potuerunt judices delegati in præſenti ſpecie Prioriſſæ, & monialibus jubere, ut comparerent in judicio.

COMMENTARIUM.

10 Concluſio probatur. EX præſenti deciſione omnes repetentes ſequentem deducunt aſſertionem: „ Si quis metu mortis monaſterium ingre„ diatur, poteſt illud deſerere, niſi poſtea profeſſionem, vel „ expreſſe, vel tacite rata habuerint. Probant eam textus *in c. puellæ, c. ſicut 9. 20. q. 1. c. præſens 20. q. 3. c. ſi qui 14. q. 5. c. non eſt 15. q. 1. c. ult. 23. q. 5. c. jam vero 23. q. 6. c. 1. c. ſicut, c. cum virum, de regul. c. dudum, de converſione conjug. c. fin. qui clerici vel voventes, c. penult. de ſtatu regul. l. 6.* Nicolaus *ad conſulta Bulgarorum, cap. 87.* quem refert Antonius Auguſt. *in epit. juris, l. 9. tit. 4.* Illuſtrant ultra congeſtos a Barboſa *in præſenti*, Feloaga *in repetitione ad hunc textum*, Cabreros *de metu, l. 2. c. 21. n. 32. & c. 10. n. 25.* Franciſcus Hallierius *de ſacris electionibus ſect. 5. §. 10.* Leo Pinellus *in c. 2. de regul. §. 6. n. 206.* Vaſquez *3. par. in tertiam, diſp. 240. c. 3. nu. 34.* Balboa *in c. ſi vero 8. n. 2. de jurej.* Bajo-Arroyo *in eod. textu, n. 11.* Tambur. *de jure Abbatum, t. 1. diſp. 2. q. 1.* Cironius *in c. 1. de converſione conjug. in 5. compil.* Seſſe *t. 1. deciſ. 60.* plures congerens Luna & Arellano *l. 1. antin. c. 3.*

Sed in hanc aſſertionem, omiſſis traditis ab Arellano ubi ſupra, pro ratione dubitandi ita inſurgo. Sicut in ingreſſu religionis profitetur certa regula deinceps obſervanda, ita in ſuſceptione Baptiſmi amplectitur vera fides catholica veraciter defendenda, & ſequenda: ſed qui per vim, & metum ſuſcepit Baptiſmum, & profeſſus fuit fidem catholicam, tenetur in ea permanere, *c. majores, §. item quæritur, de Baptiſmo*: igitur & qui profeſſus fuit regulam monachalem, tenetur in ea perſiſtere. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam valet argumentum de juramento ad votum, *c. magnæ, de voto*: probat Caſtro Palao *de obligatione juramenti, diſput. 2. part. 4. n. 2.* ſed juramentum metu extortum obligat, & obſervandum eſt quoties non datur diſpendium ſalutis æternæ, *c. ſi vero, de jurejur.* igitur & votum emiſſum in ingreſſu religionis debet obſervari, dum ſine diſpendio ſalutis æternæ ſervari poteſt. Secundo augetur prædicta difficultas ex eo, quia licet metus, qui incutitur cauſa extorquendi conſenſum in ingreſſu religionis, reddat nullum ingreſſum ipſum; tamen metus, qui incutitur a cauſa libera, non cauſa extorquendi talem conſenſum, non reddit actum nullum, quia licet ab extrinſeco incutiatur, cum non gratia extorquendi talem conſenſum incutiatur, votum, ſeu ingreſſus religionis vires habet. Ratio etiam eſt, quia tunc non compellitur quis ad vovendum ab alio, ſed a ſeipſo, cum nullus exigat tale votum, ſed voluntarie illud emittat; ideo matrimonium celebratum a virginis defloratore, ob periculum mortis, quia pater illum interficere volebat, validum eſt. Sanchez *de matrim. diſput. 12. n. 14.* Henriquez *eod. tr. l. 11. c. 9. nu. 2.* & ideo *in leg. mulier 22. de eo quod metus cauſa*, licet metus ſervitutis alias juſtus ſit, *l. 3. §. vim, ff. hoc titul.* non tamen infirmat promiſſionem a liberta patrono factam, a quo metuebat revocari in ſervitutem; quia ipſa ſibimet intulit metum, ut docent Faber *in ration. ad ipſum textum*, Cujacius *l. 11. qq. Pauli, ibi*: igitur in præſenti ſpecie cum metus mortis illatus non fuiſſet mulieri, ut religionem ingrederetur, ſed ipſa ſibi hunc metum intuliſſet, profeſſio ab ea emiſſa valida fuit. 11 Impugnatur hæc aſſertio.

Qua dubitandi ratione ita fulcita non obſtante, vera eſt præſens deciſio, pro cujus expoſitione, & plena cognitione hujus tituli, necnon edicti Prætoris de eo, quod metus cauſa geſtum eſt, ſcire oportet, metum juxta Ulpianum *in leg. 1. ff. de eo quod metus cauſa*, eſſe inſtantis periculi, vel futuri cauſa mentis trepidationem. Faciunt Ariſtot. *l. 3. Ethic. c. 6.* Cic. *4. Tuſcul.* qui aſſerunt; metum eſſe futuri, vel pendentis mali expectationem. Explicant Lælius Biſciola *l. 11. horarum ſucceſſiv. c. 21.* Julius Scaliger *exercit. 131.* Arellanus *de rationis imperio, c. 10. n. 2.* Bocerus *t. 1. claſſ. 4. diſput. 6.* Theophilus Raynaud. *t. 2. tr. de volunt. & involunt. ſect. 2. c. 1. art. 2. per totum*, Donellus *l. 15. comment. c. 38.* Barboſa *voto 1. & 77.* Hermoſilla *in l. 56. tit. 5. partit. 5.* Dicitur in definitione *inſtantis periculi*, quia remota pericula non turbant mentem; debet enim metus inſtare, etſi præſens, actualiſque non ſit, ut docuerunt Duarenus *ad tit. de eo quod metus, capit. 1.* Oſuald. *ad Donel. d. c. 38. littera D.* Nec contrarium probat Ulpianus *in l. metum 9. ff. de eo quod metus*, dum docet metum debere eſſe præſentem, nec ſufficere ſuſpicionem illum inferendi; nam aliud eſt, metum præſentem eſſe debere, aliud vero cauſam ipſius adeſſe. Si enim metus præſens ſit, licet ejus cauſa non adſit pro tunc, ſed futura ſperetur, metus datur, & conſideratur, *l. nec timorem 7. §. proinde, ff. de eo quod metus, l. 7. §. 1. ff. quod falſo tut.* probat Avendanno *d. l. 1. c. 2.* Dicitur etiam, metum eſſe mentis trepidationem, quia metus naſcitur ex magna, vehementique imaginatione periculi futuri. Unde recte ajebat Oſualdus *d. c. 38. ad Donell. littera C*, quod ſi futuri mali apprehenſio vehementer animum conturbat, metus datur; ſi mali imminentis, timor; ſi permanentis, formido; ſi valde concutiat, terror; ſi mentem loco moveat, pavor; ſi ulterius proceſſerit, exanimatio eſt. Magnum autem diſcrimen vertitur inter vim, & metum. Vis enim eſt, teſtante Ulpiano *in d. l. 1.* majoris rei impetus, qui repelli non poteſt. Cum enim per vim quid extorquetur, principium actionis aliunde, & extrinſecus venit; nec ulla voluntas patientis adeſt: at dum futuri periculi metu quid datur, aut promittitur, in patiente exiſtit actionis origo. In vi quis ſe habet pure paſſive, & omnis ejus conſenſus excluditur; in metu vero voluntas datur, licet coacta, *l. mulier 21. §. 1. ff. de eo quod metus*, Paulus *l. 1. ſent. ti. 7.* explicat Ant. Faber. *in Papin. tit. 3. principio 2. illatione 11.* Deinde, nam vis præſentia; metus futura reſpicit, licet inſtantia. In hoc titulo agitur de vi compulſiva, quæ parum diſtat a metu, niſi quia vis refertur ad eum qui cogit; metus ad eum qui patitur, at notavit Bachovius *in notis ad Vveſemb. in parat. ad tit. de eo quod metus, n. 2.* 12 Diſſolvuntur difficultates.

Metus ita vulgo dividitur, ut alius ſit metus gravis, ſeu cadens in conſtantem virum; alter vero levis, ſeu cadens in virum 13 Metus diviſio.

virum non conſtantem, *c. finali, de appell. c. cum dilectus, hoc tit. c. conſultationi, c. veniens 2. de ſponſ. leg. 3. §. per vim, cum ſequentib. l. metum 9. l. ſi per vim. ff. de eo quod metus. l. ſi interpoſitas, C. de tranſ. leg. ſi voluntate, Cod. de reſcind. vendit. l. ſi quidem, C. de contrahend. ſtipul.* Metum cadentem in virum conſtantem appellavit Ulpianus *in leg. metum 5. ff. de eo quod metus*, metum majoris malignitatis; & Labeo cadentem in conſtantiſſimum virum dixit *in l. ſequenti*, ideſt in conſtantiorem. Ponitur enim ſuperlativum pro comparativo; & metus gravis tunc adeſt, cum notabile damnum ingruens veroſimillime pendet a viro potente, & ſolito minas excedere, eſtque revera tale malum, ut non ſit facile excutiendum, vel depellendum. Hujuſmodi ergo metus in ſe gravis eſt, & talis ut hominem conſtantem concutiat. Igitur metum cadere in conſtantem virum, eſt metum illum hominem ita movere, ac percellere, ut eum, tametſi alioquin conſtantem, & fortem, concutiat, & de propoſito dimoveat. Sed videamus, quibus in caſibus metus cadens in conſtantem virum incutiatur, & per conſequens apparebit, quando metus tantum levis detur. Et metius gravis naſcitur ex morte *l. nec timorem 7. §. proinde, ff. de eo quod metus, c. cum dilectus, hoc tit. d. leg. interpoſitas, leg. 3. C. ex quibus cauſis majores, l. voluntate, C. de reſcindenda*; quem magiſtralem timorem vocat Fulgentius relatus a Cujacio *in l. ſi quidam 9. C. de contrahend. ſtip.* abſciſſionis membri, verberum, ſeu cruciatus corporis, *d. leg. ſi quidam 9. l. 7. tit. 33. part. 7.* Petrus Faber *l. 3. ſemeſt. c. 8.* ſervitutis, *leg. ego 4. l. iſti, §. 1. ff. de eo quod metus cauſa*: ſervitus enim morti comparatur, *l. ſervitutem 209. ff. de R. J. leg. interdicit 59. ff. de condit. & demonſt.* Hunc autem caſum ſervitutis ita explicat Paulus *d. l. iſti 8.* ut ſi ille, qui habebat inſtrumentum meæ libertatis, minetur ſe illud conſumpturum. Metus juſtus incutitur etiam ab alio; non autem edicto Prætoris locus eſt, ſi cum ſcirem patronum poſſe me ut ingratum revocare in ſervitutem, centum illi promiſero, ne revocet; quia a meipſo metus incutitur, *l. ſi mulier, ff. hoc tit.* Similiter gravis metus eſt vinculorum, ſeu carceris, *d. l. iſti §. proinde, l. qui in carcerem, l. non eſt, §. 1. ff. hoc tit.* carcer enim quaſi ſpecies ſervitutis eſt, *l. 2. ff. de libero homine.* Non autem hoc intelligendum eſt ſimpliciter de homine in carcerem detruſo; nam contractus ab incarceratis celebrati vires habent, ut docent Farinacius *de carceribus qu. 35.* Guttierez *l. 1. de juramento, c. 57.* alii congeſti ab Olea *de ceſſione jurium ti. 8. q. 1. n. 7.* Cabreros *l. 2. de metu, c. 46.* debet enim textum *in d. l. qui carcerem*, accipi vel de carcere privato, vel de eo qui in carcerem detruſus eſt, a quo aliquid injuſte extorquetur. Tunc enim metus carceris injuſtus eſt, ut docent Faber *in d. l. qui carcerem*, Donellus *d. c. 38.* Duarenus *ad tit. de eo quod metus*; & ſimilem promiſſionem lex Julia reſcindit, *leg. 5. ff. ad legem Julian. de vi*, ſicut eam, quam fecit, qui in domo incluſus fuit, ut ab eo aliquid extorqueretur, *d. l. 5.* Paulus *l. 1. ſentent. tit. 7. §. penult. & ult.* Etiam metus gravis eſt ſtupri. Si enim quis aliquid promiſit, ne ſtuprum pateretur, ob metum gravem promiſit, *l. iſti 8. §. quod ſi dederit, ff. de eo quod metus*, Petrus Faber *l. 3. ſemeſtr. c. 8.* etenim hic metus in viris & feminis major eſt quam mortis, ob fœditatem, & turpitudinem. Etiam inter caſus metus gravis ille enumeratur, cum quis videlicet promiſit, ſeu aliquid alienavit, ne in adulterio, aut furto deprehenſus occideretur, ſeu proderetur, *ex hoc c. 1. l. 7. §. proinde, ff. de eo quod metus*; ſufficit enim ut quis metuens ne compellatur, alienet, *l. noviſſime 7. §. 1. ff. quod falſo tutore.* Nec tunc obſtat textus *in l. 4. ff. de conditione ob turpem*, ubi deciditur, propoſita ſpecie non competere repetitionem pecuniæ datæ: nam reſpondetur, textum illum procedere in condictione ob turpem cauſam, quæ non competit, quoties datur turpitudo ex utraque parte, *l. ubi dantis, ff. eod. tit.* at vero datur actio de eo, quod metus cauſa, quia juſtus metus interceſſit. Accedit, quia hoc remedium eſt prætorium, quod æquitate potiſſimum nititur; at vero condictio eſt civilis introductio: docent Cujacius *in d. l. 8. ff. de eo quod metus.* Pacius *centur. 2. q. 69.* Baſilius *l. 4. de matrim. c. 12. n. 7. & 10.* ſed ſi pecuniam dedit, poſtquam accuſatus eſt, non autem probatum delictum, locus eſt edicto de calumniatoribus; & ſi detur aliquid, ne accuſetur, non competit hoc remedium, *l. accuſationi, C. hoc tit.* & ſi detur, ne denuntietur, ex lege Cornelia de falſis agendum eſt, *l. 2. ff. de concuſſionibus.* Quinque igitur conditiones deſiderantur, ut metus gravis dicatur, & cadens in conſtantem virum. Prima eſt, ut metus incutiatur ex gravi cauſa ſibi, aut filiis ſuis, *l. iſti 8. §. ultimo, ff. de eo quod metus.* Secunda ut metuens non vane, & leviter credat malum ſibi imminere, ſed rationabiliter exiſtimet illud eventurum, *d. l. 7. §. proinde 3.* Tertia ut metum incutiens poſſit minas executioni mandare, velut ſi metum incutiens ſit ſenex, debilis, vel mulier, & metum paſſus juvenis; alias enim, ſi qui minas apponit, exequi non poteſt, ſibi ipſi metum infert. Donell. *d. c. 38.* Quarta, quod incutiens metum ſolitus ſit minas exequi; alias enim ſi metus imponatur ab eo, qui facile eas incutit, ſed exequi negligit, non eſt gravis metus, cum ex perſonis hominum eorum dicta ſint penſanda, *l. unica, C. ſi quis Imperatori, l. nec tunc, C. hoc tit. l. famoſi, ff. ad legem Jul. Majeſt.* Quinta, quod metum patiens non poſſit facile malis, quæ timentur, occurrere; ſi autem poſſit ea proclamando effugere, non eſt juſtus metus, *l. non eſt veriſimile, ff. de eo quod metus*; quam erudite illuſtrat perdoctus Rameſius *in teſſera legum*: & quia omnes cauſis, in quibus gravis metus adeſt, in particulari comprehendi non poſſunt, judicis arbitrio relinquitur diſquirere, quinam gravem metum inferant, qui levem, penſatis omnibus circumſtantiis, quibus, & a quibus metus incutitur, *l. 3. ff. ex quibus cauſis majores*, Barb. *d. voto 71.*

Vani ergo timoris ratio non habetur, *l. metum 6. ff. de eo quod metus, l. ſi quis 13. ff. de re judicata, l. vani 184. ff. de R. J.* licet ſi damnum ex eo ſequatur, competat al[illegible] [illegible]dium, *leg. ult. ff. de extraordin. criminibus*; quam docte exponunt Ramirez *in pentec. c. 1. & l. 1. ad Martialem* [illegible] Oſualdus *ad Donel. l. 15. comm. c. 44. littera C.* Vani metus exempla extant *in l. illud 25. ff. de conſt. penult. l. ad invidiam, l. cum te 8. leg. accuſationis, C. hoc tit.* Difficile autem exemplum eſt, quod proponitur *in l. timorem 7. ff. de eo quod metus*, ubi docetur, timorem infamiæ hoc edicto non contineri; cum certum ſit, infamiam morti æquiparari, *l. juſtas 17. ff. de manumiſſ. vindict.* & inter graves cauſas enumeratur *in leg. iſti 8. §. penult. ff. de eo quod metus.* Sed omiſſis variis interpretationibus diſcrimen conſtituendum eſt inter infamiam ortam ex falſa criminatione, & inter veram infamiam, quæ naſcitur ex delicto vere perpetrato. Metus falſæ infamiæ vanus eſt, & contemnendus, *d. l. nec timorem 7.* Metus vero criminis admittendi, ex quo infamia vera proveniat, juſtus & gravis eſt, de quo agitur *in d. §. pen.* ut docuerunt Julius Pacius *cent. 2. q. 68.* Pichardus *in dict. §. 27. q. 20. de action.* Difficilis etiam eſt caſus relatus *in l. metum, §. denique, ff. de eo quod metus*; ubi docetur, quod ſi quis audiat homines armatos ad ſe venire, & a fundo receſſerit, non eſſe locum edicto de eo, quod metus cauſa, nec interdicto *unde vi*; ſed ſi poſteaquam homines armati ingreſſi ſunt fundum, edicto locum eſſe; & interdictum *unde vi*, etiam eo caſu dari aſſeritur *in leg. 1. §. idem Labeo 29. ff. de vi & vi arm.* Adſtipulatur huic ſententiæ Cic. *pro Cecinna*, in his verbis: „ Fuiſſet in eo loco, & ex eo me„ tu perterritus fugiſſet, & cum armatos vidiſſet, diceresne „ eſſe interdictum, decretumve? opinor. „ Cui ſententiæ obſtat textus *in l. non ſolum 33. §. ſi dominus, ff. de uſucap.* ubi aſſeritur, ſufficere ut dominus vi dejectus dicatur a poſſeſſione, quod exiſtimans homines armatos ad ſe venire, aufugerit. Pro conciliatione hujus antonimiæ Cujacius *l. 44. Digeſtorum Juliani in dict. leg. non ſolum, §. ſi dominus, & l. 11. q. Pauli in d. l. metum 9.* exiſtimat *in d. §. ſi dominus*, loco verbi *exiſtimaverit*, legendum eſſe, *ſi timuerit*, ut ſenſus ſit, homines armatos jam vidiſſe, & timuiſſe, & tunc videri eos occupaſſe poſſeſſionem, & ſic juſtum metum adfuiſſe. Sequuntur Cujac. Faber *in d. l. 9.* Pacius *cent. 2. q. 70.* Arellano *d. c. 10. n. 6.* ſed eum refellit Pichardus *in d. §. 27. n. 23.* Aliter gloſſa *in eo textu, v. videret*, hæc jura conciliare intendit; exiſtimat enim *in d. §. dominus*, ſufficere fugam illam ad hoc ut fugiens amitteret poſſeſſionem quoad uſucapionem, cum animo, & corpore e fundo exiiſſet; non autem eam fugam ſufficere, ut ſit locus edicto de eo, quod metus cauſa, & interdicto de vi & vi armata. Gloſſam ſequuntur Oſuald. *l. 15. ac Donel. c. 39. littera V.* Pichardus *ubi proxime.* Sed hæc ſolutio expreſſe refellitur ex eo, nam *in d. §. ſi dominus*, non agebatur de uſucapiente, ſed de vero domino, qui vi dejectus fuit: quare pro vera ejus textus interpretatione dicendum eſt, eum qui viſis armatis hominibus ad ſe venientibus, a fundo fugit, deſinere poſſidere, *leg. 3. §. ſi quis nuntiet 8. l. jam poſſidere 6. §. ult. cum leg. ſeq. leg. qui meo nomine 18. §. penult.* ſic intelligendo legem *ſi id quod 25. §. ul. l. quamvis 40. ff. de acquirenda poſſ.* & hæc poſſeſſionis amiſſio ſufficit, ut locus ſit interdicto *unde vi, l. 4. §. ſi tu me vi, ff. de uſucapionibus.* Donellus *lib. 1. comment. c. 27.* Duarenus & Giphanius *in d. l. clam. 6. §. ult.* licet ſi armati in alium locum proficiſcerentur, nec ad invadendam poſſeſſionem venirent, & nihilominus dominus aufugiſſet, tunc vi dejectus non creditur, *l. 1. §. idem, l. 3. §. ſi quis, ff. de vi & vi armata.* Nec tunc obſtat textus *in d. §. denique*, qui in primo caſu loquitur, cum non vidit, ſed tantum ex rumore, quod ad eam veniebant, aufugit: quo caſu edicto locus non eſt; ſed ſi vidit fundum ingredientes, locus eſt edicto, & interdicto de vi, & vi, ut in ſecunda parte ipſius textus docetur. 14 De metu [illegible]

Deinceps ſciendum eſt, metu etiam gravi geſta ipſo jure valere, & ſubſiſtere, *l. ſi mulier, §. ſi metu, hoc tit. l. ſi metu 75. ff. de acquirenda hered. leg. 3. 5. 7. & fin. Cod. hoc tit. leg. interpoſitas, Cod. de tranſactionibus, princip. inſtit. de exceptionib. leg. dolo 5. Cod. de inutilib. ſtipul. leg. 4. tit. 6. leg. 56. tit. 5. par. 5. l. 7. tit. 37. par. 7.* facit Seneca *l. 5. controv.* in illis verbis: *Vim adhibenti lex non iraſcitur, ſed paſſo ſuccurrit, & iniquum illi videtur id ratum eſſe, quod aliquis, non quia voluit, pactus eſt, ſed quia coactus eſt.* Refert Grotius *in floribus ad tit. ff. de eo quod metus*: docent Cabreros *l. 2. de metu, c. 14. n. 10.* Guttierez *de juram. c. 57. n. 21.* Flaminius *de reſig. l. 15. quæſt. 2. nu. 9.* Gomez *t. 3. var. c. 4.* Petrus Barboſa *in rubr. ſolut. matr. 4. part. n. 28.* Hermoſilla *in leg. 56. tit. 5. part. 5. gloſſa 1.* Ratio eſt, quia qui metu cogitur, conſentit; & voluntas coacta, voluntas eſt; & metus non facit involuntarium ſimpliciter, ſed miſtum, ſive ſecundum quid, *leg. ſi mulier 21. §. pen. ff. de eo quod metus, leg. qui ita, in principio, ff. ad Trebell. leg. ſi privatus, ff. qui & a quibus, dict. leg. ſi metu 85.* Paulus *l. 1. ſentent. tit. 7.* Cum enim voluntas cogi non poſſit, ut poſt D. Thomam probat Becanus *de libero arbitrio in 1. 2. tr. 1. c. 2.* etſi metu quis coactus velit, velle dicitur, non abſolute, ſed ſecundum quid; nec eſt voluntas abſoluta, ſed qualificata, ut exponit Ariſtot. *l. 3. Ethic. c. 1.* Propoſita enim difficultate, an actio ex metu, & quidem gravi, ſit voluntaria, an non? concludit, eſſe potius voluntariam. Eum ſequitur D. Thom. *2. 2. q. 6. art. 8.* eleganter probant Epictetus apud Arrianum *in l. 1. c. 17.* Simplicius *in c. 1. enchir.* Principium enim 15 Metu geſta valent.

agendi

agendi in ipſo, cui metus incutitur, voluntarium eſt, ſiquidem vult potius facere, ſive rem alienare, quam mori; & in hoc ſenſu voluntas coacta eſt, quod rectius explicant Theologi, quam Juriſperiti. Unde jure civili quaſi conſenſu initi contractus metu geſti valebant, nec de eis antiquis legibus aliquid cautum fuerat, uſquedum Prætoris edicto ſuccurſum fuit. Nec vero tantum intendo actum ex metu profectum eſſe voluntarium, ſed etiam intendo eſſe ſimpliciter voluntarium, nec eſſe involuntarium, niſi ſecundum quid, ita ut quamvis voluntarium, & involuntarium miſceantur in hujuſmodi opere, prædominetur tamen voluntarium, ut recte contra Decium id negantem affirmat Sanchez *l. 4. de matr. diſp.* 1. *n.* 5. Eſtque aperta ſententia Ariſt. *l. 3. c.* 1. Divi Thomæ 1. 2. *q.* 6. *ar.* 6. Annuuntque Durandus *in* 4. *d.* 29. *q.* 2. *n.* 10. Almainus *tr.* 1. *moral. c.* 3. idemque ferunt verba illa Divi Auguſt. *de ſpiritu, c.* 31. „ Si ſubtilius advertamus, etiam quod quiſque invitus „ facere cogitur, ſi facit, voluntarie facit: ſed quia malit „ aliud, ideo invitus, hoc eſt nolens, facere dicitur. “

16 **Impugnatur tradita aſſertio.**

Contrarium tamen, imo metu gravi geſta ipſo jure nulla eſſe, & ab initio invalida, tenuerunt Bartolus *in l. metu* 9. §. *volenti, n.* 2. *hoc ti.* Fortunius Garcia *de ultimo fine, illation.* 21. *n.* 387. Valenzuela *conſil.* 74. *n* 43. Petr. Greg. *l.* 21. *ſyntag. c.* 2. *n.* 3. pro quibus faciunt ſequentia juris principia. Primum; nam matrimonium metu cadente in conſtantem virum celebratum nullum eſt, *c. de muliere* 6. *c. cum locum* 24. *cap. veniens* 15. *c. adit* 21. *c. conſultationi* 28. *c. gemma* 29. *de ſponſalibus.* Similiter votum metu gravi emiſſum nullum eſt, ut in hoc textu deciditur. Electio metu facta nulla eſt, *c. ubi periculum, §. ceterum, de electione, in Sexto.* Etiam renuntiatio metu facta eſt nulla, *c. Abbas, hoc tit. Clement.* 2. §. *ſane, de pœnis.* Item abſolutio excommunicati metu præſtita, *c. unico, hoc tit. in* 6. Promiſſio dotis metu facta eſt nulla, *l. ſi mulier, §. ſi dos, ff. de eo quod metus.* Secundo facit pro hac ſententia textus *in l. metum, §. licet, ff. de eo quod metus cauſa,* ubi res metu alienata, in dominio ejus, qui alienavit, permanet: igitur quia traditio nulla fuit. Tertio facit Textus *in l. qui in aliena, §. Celſus, ff. de acquirend. heredit.* ubi probatur, aditionem hereditatis metu factam nullum effectum obtinere. Quarto probatur *ex leg.* 1. *C. de reſcind. vendit.* ubi venditio metu facta pro infecta habetur, quod & firmat conſtitutio Friderici *de pace Conſtantiæ, in uſib. feud. §. vaſſallili, l.* 3. *tit.* 5. *part.* 5. Faciunt & rationes illæ. Prima, nam ſubſtantia contractus in conſenſu conſiſtit, præcipue emptio, & venditio, locatio, ſocietas, & mandatum, *l. obligationum, ff. de O. & A.* ſed nihil tam contrarium eſt conſenſui, quam metus, *l. nihil* 116. *ff. de R. J.* igitur contractus metu celebrati ipſo jure nulli ſunt. Secunda, quia dolus dans cauſam contractui bonæ fidei, ipſo jure eum nullum reddit, *leg. & eleganter* 7. §. 1. *ff. de dolo:* ſed in metu dolus ineſt, *l. item* 14. §. *cum quis, ff. de eo quod metus, leg.* 2. §. *doli, ff. de vi bon. rapt.* igitur contractus metu celebrati ipſo jure nulli ſunt.

17 **Traditur vera diſtinctio.**

Sed ut his, & aliis difficultatibus ſatisfaciamus, diſcrimen conſtituendum eſt inter actus illos, qui ex libera voluntate fieri debent; inter eos, qui ex libertate ſimpliciter, ſeu conſenſu. Primi metu geſti, ipſo jure nulli ſunt, quia intervenit defectus pugnans cum ratione actus, qui exercetur. Secundi valent, donec irritentur. Ita poſt alios Mogollonus *de metu, c.* 9. *n.* 1. & 2. Gregorius Lopez *in l. fin. tit.* 11. *part.* 3. *littera G.* Baſilius *l.* 4. *de matr. c.* 6. Unde cum matrimonium deſideret voluntatem liberam voluntariam, *d. c. cum locum,* ubi illi verba, *cum locum non habet conſenſus, ubi metus, vel coactio intercedit,* non ita ſunt accipienda, quaſi in matrimonio conſenſus utcumque deſideretur; requiritur enim conſenſus liber, ſeu voluntas libera, ob ſpecialem rationem, quam tradit D. Thom. *in additionibus ad* 3. *par. q.* 47. *ar.* 3. Senſus ergo prædictorum verborum eſt, locum ſibi non vindicare conſenſum metu extortum in contractu matrimonii, quia etſi coactus voluit, non tamen libere, cum voluntas libera deſideretur: late docet Baſilius *c.* 14. *per totum.* Idem contingit in voto, ſeu ingreſſu religionis, ubi ſpontanea voluntas deſideratur, *c. ſicut* 1. *de reg.* ibi: „ Spontanea voluntate profeſſionem fecit monachalem: „ & c. 1. de ſtatu regul. l. 6. *ibi:* Suam integritatem vidui- „ tate ſpontanea devoverunt. *Pius quintus* in conſt. relata ab „ Scortia in Selectis Pontif. conſt. ep. 91. theorem. 227. “ licet renuant quoad votum Theologi, Baſil. *l.* 7. *de matr. c.* 29. *n.* 5. Suarez, & alii congeſti a Caſtro Palao *par.* 3. *operis mor. de voto, q.* 1. *punct.* 5. quorum fundamentis ſatisfacit Feloaga *in præſenti, f.* 69. Idem procedit in electione canonica, & renuntiatione beneficii, in quibus libertas plena deſideratur, *c. cum terra, de elect. c. Abbas, hoc tit.* Similiter abſolutio metu data, nulla eſt, quia petit voluntatem liberam in abſolvente, *c. unico, hoc tit. in* 6. In his enim actibus, & ſimilibus non eſt neceſſaria irritatio, quia ipſo jure nulli ſunt.

18 **Proſequuntur alii caſus.**

Ad hoc etiam genus actuum, in quibus voluntas libera ex eorum natura deſideratur, pertinet juriſdictionis prorogatio; *l.* 2. *ff. de judiciis;* donatio, & promiſſio lucrativa, quæ ex ſua natura petunt ſpontaneam voluntatem, *l. manumiſſio, ff. de manumiſſ. leg. rem legatam, ff. de adimendis legat. l. donationis* 3. *Cod. hoc tit.* probant Arellanus *dict. c.* 10. *n.* 10. Cabreros *l.* 2. *de metu, c.* 3. *per totum,* Baſilius *l.* 4. *de matr. c.* 6. ideoque donatio metu facta ipſo jure nulla eſt: nec contrarium probatur *in l. ult. Cod. hoc tit.* dum donationes æquiparantur venditionibus, & tranſactionibus: nam textus ille non eſt accipiendus de donationibus ex liberalitate procedentibus, ſed de aliis ex cauſa factis, quæ proprie donationes non ſunt, ut docent Lugo *de juſtitia, t.* 2. *de contractibus in genere, diſp.* 22. *ſect.* 7. *num.* 126. Feloaga *in præſenti, n.* 27. Ob eamdem etiam rationem promiſſiones liberales nullæ ſunt ipſo jure, cum in illis deſideretur voluntas omnino libera, *l. ſi mulier* 22. §. *ſi dos, ff. hoc tit.* quem textum licet ſpecialiter tantum in caſu dotis accipiant A. Faber *in ejus ration.* Pichardus *in d.* §. 29. *nu.* 42. in omnibus tamen promiſſionibus liberalibus procedere, ſuadetur ex Cic. *l.* 1. *de officiis,* in illis verbis: *Illis promiſſis ſtandum non eſt, quæ coactus quis metu, aut deceptus dolo promiſerit.* Docent Sanch. *l.* 4. *de matr. diſp.* 12. *n.* 13. P. Barboſa *in rubric. ſoluto matr. par.* 4. *n.* 26. Cabreros *l.* 1. *de metu, c.* 11. Aliæ vero ſtipulationes ex cauſa oneroſa interpoſitæ obligationem producunt, licet poſtea irritentur, *l. ſi quis eum* 36. *ff. de V. O. leg. penult. C. de inutil. ſtipul. leg. ſi quidem* 9. *Cod. de contrah. ſtipul.* ubi Cujacius. Stipulatio enim ſapit naturam actus cui adhæret. Unde ſi accedat negatio, quod liberam & omnino ſpontaneam petat voluntatem, ipſo jure nulla eſt; ſi vero accedat contractui, qui tantum conſenſum requirit, valet, licet poſtea irritetur. Ad mandatum etiam, & contractus innominatos, in quibus eſt locus pœnitentiæ, hanc doctrinam protraxit Sarmientus *de redditibus l.* 1. *c.* 4. *n.* 9 quia cum per pœnitentiam revocentur, & qui per metum promittit, ſtatim pœniteat; ideo contractus ſtatim vitiatur. Videndus eſt Cabreros *de metu l.* 2. *c.* 26. Etiam pertinet ad hoc genus actuum libertatis datio; libertas enim metu data, ipſo jure non ſubſiſtit, quia liberam, & ſpontaneam petit voluntatem, *leg. idem* 9. *l. ſi privatus* 17. *ff. qui & a quibus, l.* 3. *Cod. qui manumittere;* niſi ex cauſa oneroſa detur, ut nummis acceptis pro ipſa manumiſſione, *l. ſi quis ab alio* 9. *ff. de manumiſſ.* ubi Cujacius *l.* 3. *qq. Papin.* & *l.* 16. *obſerv. c.* 40. Arellanus *dict. l.* 1. *c.* 10. Cabreros *l.* 1. *de metu, c.* 34. *per totum.* Nec tunc obſtat textus *in leg. metum* 9. §. *idem Pomponius, ff. de eo quod metus cauſa,* ubi docetur reſtitutionem ex eo edicto locum habere in ædificii deſtructione, & libertate ſervo præſtita: igitur quia libertas metu data ſuſtinetur, donec per Prætorem irritetur. Pro cujus difficultatis ſolutione A. Faber *in ead.* §. Pichardus *in d.* §. 27. *n.* 17. Cabreros *d. c.* 34. *n.* 81. diſcrimen conſtituunt inter caſum, in quo metus incutitur domino ab ipſo ſervo, & inter eum, in quo incutitur ab extranea perſona. Primo caſu affirmant, libertatem ipſo jure nullam eſſe, ſecundo vero valere, ſed ex edicto Prætoris revocari. Et ſi ſciſciteris, quomodo eo caſu reſtitutio detur adverſus libertatem, ſatisfacit Arellanus *d. c.* 10. affirmans reſtitutionem in eo caſu tantum dari contra factum manumiſſionis, non vero contra libertatem. Quare conſultus ſignanter ſimul propoſuit ſpeciem depoſitionis ædificii, & caſum manumiſſionis; quia ſicut in ædificio tantum competit edictum ad factum, ſeu propter factum; ita in manumiſſione competit reſtitutio ad ipſum factum: & licet regulariter libertas ſemel competens revocari non poſſit, *l. libertas* 33. *cum ſequent. leg. Imperator* 57. *ff. de manumiſſ. teſtam. l. ſervum* 11. *ff. de manumiſſ. leg. ſi ex cauſa* 9. §. *ult. ff. de minor. leg.* 1. *C. ſi adverſus libert.* §. *ſemel, Inſtituta quibus ex cauſis manum.* tamen aliquando competit reſtitutio ad ipſam manumiſſionem reſcindendam, quaſi de facto valuiſſet, *l. ſi quis* 15. *ff. quæ in fraudem credit. leg. Papinianus* 8. §. *fin. cum leg. ſeq. ff. de inoffic. leg. cum vero* 26. §. *hoc* 8. *ff. de fideicom. libert.* quas ita exponunt Petrus Faber *l.* 2. *ſemeſtr. c.* 22. Coſta *l.* 1. *ſelect. c.* 22. Sarmiento *l.* 1. *ſelect. c.* 6. Cabreros *d. c.* 34. *n.* 48.

19 **Diſſolvuntur fundamenta contraria.**

Nec etiam pro contraria ſententia facit textus *in d. l. metum, §. licet;* nam verum non eſt, rem metu alienatam in dominio ejus, qui tradidit, & alienavit, remanere; nam potius certum eſt, per traditionem, quamvis coactam, amiſſum fuiſſe dominium; etſi reſciſſa ipſa alienatione reſtituatur dominium amiſſum, & incipiat in priſtini domini bonis eſſe. Unde textus *in d. §. licet,* procedit poſt reſciſſionem ipſius alienationis ex edicto de eo quod metus cauſa. Nec etiam obſtat textus *in d. l.* 9. §. *Celſus,* pro cujus ſolutione dicendum eſt, aditionem hereditatis metu factam ipſo jure valere, quia ad aditionem ſufficit conſenſus, aut per verba, aut per factum elicitus, *l. ſi mulier* 21. §. 5. *ff. de eo quod metus, leg. ſi metu* 85. *ff. de acquirend. hered. leg.* 1. §. *quid ergo, ff. ſi quis omiſſa cauſa:* docent Pet. Greg. *l.* 46. *ſyntagm. c.* 4. *n.* 15. Pichardus *de acquirend. hered. c.* 18. *n.* 10. Farinacius 2. *par. fragm. verb. Metus, n.* 45. Cujac. *l.* 30. *qq. Papin. in dict. l. ſi metu* 85. Gentilis *de bonis maternis, c.* 21. *pag.* 118. Sed Prætor eum reſtituit per abſtenſionem, & perinde habet, ac ſi heres non eſſet; quæ reſtitutio ſupponit aditionem valuiſſe, *l.* 2. *Cod. in quibus cauſis, l.* 2. *C. de prædiis minorum.* Nec contrarium probatur *in d. §. Celſus,* dum in eo docetur eum, qui metu verberum (ita legit Cujacius) adit hereditatem, heredem non eſſe; nam omiſſa ſolutione Cabreros *l.* 2. *de metu, c.* 20. *n.* 58. qui exiſtimat diſcrimen eſſe conſtituendum inter ſervum, aut filium adeuntes hereditatem, & inter extraneam perſonam, itaut filius, aut ſervus metu adeuntes, heredes non maneant, *d. §. Celſus,* extraneum vero heredem fieri, *d. l. ſi metu* 85. dicendum eſt, *in d. §. Celſus,* adeuntem hereditatem heredem non fieri, quia ultra metum adfuit fallacia; ipſe enim qui adivit, ſimulavit, & propoſuit nullo modo velle adire hereditatem: quare cum nulla in ea ſpecie voluntas concurreret, nec quidem coacta, nullo modo heres manſit: ita illum textum accipiunt A. Faber *in d. l. ſimiliter, §.* 5. Cujacius *in l. velle, ff. de R. J.* & *l.* 18. *obſerv. c. ult.* Irañzo *de proteſt. co ſin.* 47. *n.* 28. Duarenus *ad tit. de acquir. hered. c.* 6. Petrus Faber *in d. leg. velle,* Pacius *cent.* 2. *q.* 67. Oſualdus *ad Donell. l.* 2. *comment. c.* 8. *littera D,* Pichardus *de acquirend. hered. c.* 18. *n.* 11. & *in* §. 1. *Inſtit. de excep.* Arellanus *d. c.* 10. *n.* 25. Nec etiam obſtat textus *in d. leg.* 1. *Cod. de reſcind. vendit.* cum aliis ſupra adductis; nam verum eſt, venditionem metu celebratam effectum non habere, *l. ſi*

l. ſi medicus 3. *ff. de variis & extraord. leg. archiatri* 9. *Cod. de profeſſ. l.* 10. *l. ſi vel metu* 3. *leg. ſi per vim* 4. *cum l. ſequent. leg. fin. Cod. hoc tit.* Probat Cabreros *l.* 2. *de metu, c.* 1. *ex n.* 29. ipſo tamen jure ſubſiſtit, quia de ejus ſubſtantia eſt conſenſus, ſed non liber, & ſpontaneus; licet Cujac. *in d. l. ſi mulier, §. ſi dos,* Donellus *l.* 12. *comm. c.* 7 exiſtimaverint, contractus bonæ fidei metu celebratos ipſo jure nullos eſſe; contractus vero ſtricti juris valere, ſed poſtea irritari: quorum ſententiam refellunt Oſualdus *in d. c.* 7. *Donelli, litt. E,* Robertus *l.* 3. *animadv. c.* 3. Nec contrarium probat dicta lex 1. quia verbum illud, *irrita,* accipitur pro irritanda; ut irritanda accipitur pro irrita *in leg.* 5. *Cod. eod. tit.* & paſſim in jure hæc verba *irritum, & irritandum,* promiſcue uſurpantur. Nec rationes ſupra perpenſæ obſtant. Non prima, deſideratur enim conſenſus in contractibus præcipue conſenſu conſtantibus: ſed ut ſupra probavi, in voluntate coacta datur conſenſus qualificatus; inde licet metus adſit, non deeſt ſubſtantia contractus: quare ipſo jure valent, licet poſtea irritentur. Nec ſecunda ratio adverſatur, qua moti Cujacius, & Donellus *ubi ſupra,* Cironius *ad hunc titulum,* late Pichardus *in d.* §. 28. *q.* 9. affirmant, metum dantem cauſam contractui bonæ fidei illum nullum reddere ipſo jure, ut contingit in dolo. Nam reſpondendum eſt, dolum apertum dantem cauſam contractui bonæ fidei, illum nullum reddere, non vero dolum velatum, qui eſt in metu; tunc enim non attenditur dolus, ſed metus, qui principaliter incutitur, ut docent Robertus *dict. l.* 3. *c.* 3. Bachovius *de actionibus, diſp.* 6. *theſ.* 17. Vinius *l.* 1. *ſelect. quæſt.* 12. dolus enim eſt in metu, ſicut in omnibus delictis; prout dolus accipitur tamquam mala fides, non vero deceptorius, & deceptionem intendens, qui omnem conſenſum excludit. Unde dolus qui ineſt in metu, non tollit voluntatem, ut proſequuntur Sarmiento *l.* 6. *ſelect. c.* 6. Vinius *ubi ſupra.*

20 **Metu geſta poſtea irritantur.**

Manet ergo ea, in quibus voluntas non libera, & voluntaria deſideratur, metu geſta ipſo jure valere, quia voluntas coacta, voluntas eſt; ſed quia illa voluntas non fuit ſpontanea, & libera, ne actus per injuriam extortus proſit ei qui metum intulit, Prætor auctoritatem ſuam interponit, & quidquid metu geſtum eſt, ratum non habet ſuo edicto concepto: *Quod metus cauſa geſtum erit, ratum non habebo: l.* 1. *ff. de eo quod metus, leg. interpoſita, C. de tranſact.* docent omnes ſupra relati, Donellus *dict. c.* 38. Faber *l.* 16. *conject. c.* 19. Schiforderger. *l.* 1. *tr.* 24 *q.* 10. Chaldeira *l.* 4. *variar. c.* 1. Licet enim proſpectum jam eſſet legibus Juliis de vi publica, & privata adverſus eos, qui per vim, aut publicam, aut privatam dejeciſſent aliquem dominum a propria rei poſſeſſione, *l.* 1. *ff. ad legem Juliam de vi public. & privata;* & quoad ipſam poſſeſſionem propter vim expulſivam in rebus ſoli competeret interdictum unde vi, *leg.* 1. §. 1. & 2. *ff. unde vi,* propter turbativam in rebus immobilibus interdictum uti poſſidetis, *l.* 1. §. *igitur, l.* 2. *ff. uti poſſidetis;* in mobilibus utrobi, *l. un. ff. utrobi;* propter inquietativam interdictum quod vi, aut clam, ut notat P. Greg. *l.* 36. *ſyntag. c.* 25. circa compulſivam tamen non ſatis proſpectum erat, unde neceſſarium fuit edictum Prætoris de eo, quod metus cauſa. Circa creditorem, quia debitore rem ſibi debitam occupavit vi, aut metu, adeſt reſcriptum Imperatoris Marci *in l. extat* 13. *ff. de eo quod metus,* & *in l. pen. & ult. ff. ad legem Juliam de vi privata;* non tamen caſus iſte pertinet ad edictum Prætoris de eo, quod metus cauſa, quia qui metum paſſus fuit in ea ſpecie ullo damno non afficitur; & ſic quia non eſt læſus, reſtitui non valet ex eo edicto, ut *in l. ſed & partus* 17. §. 1. *leg. item* 14. *l. ult. §. ult. ff. de eo quod metus cauſa;* obſervavit D. Joan. Suarez *l.* 1. *ad leg. Aquiliam, c.* 5. *ſect.* 4. *n.* 4. Sed quia ſingulis non eſt permittendum, quod per Magiſtratus publice expediri valet, & legum reperta eſt via, ut nihil proprio agatur impulſu; injectio manus in debitorem non permittitur, niſi in furem, aut debitorem cum debito fugientem, *l. ait Prætor* 10. §. *ſi debitorem, ff. quæ in fraudem credit. l.* 2. *ff. de cuſtodia reorum, leg. qui vas* 48. *ff. de furtis, l. generali* 54. *Cod. de decur. l.* 10. Guillel. Forn. *l.* 3. *ſel. c.* 12. ideo creditor propria auctoritate manum injiciens in debitorem, privatur ipſo debito, & ſi partem debiti abſtulit, partem amittit, *l. ſancimus, Cod. de pœnis,* Gothofredus *in d. leg. generali,* Donel. *l.* 17. *c.* 7. niſi rei ſibi debitæ poſſeſſio vacua ſit, ut contingit *in tit. ff. quorum legatorum,* ubi res legata a legatario occupata non amittitur, quia vacua ejus poſſeſſio erat.

21 **De reſtitutione propter metum.**

Hoc edicto duplex remedium a Prætore promittitur, data electione illi, qui metum paſſus eſt, *l. ſi mulier* 21. §. *fin. ff. de eo quod metus.* Primum reſtitutio in integrum, per quam reſtituitur metum paſſus ad priſtinum ſtatum, ac ſi metus non interceſſiſſet, *l.* 2. *C. ſi adverſus rem jud. leg.* 2. *C. ſi adverſus fiſcum;* & quia læſio poteſt intercedere aliqua re alienata, liberato debitore, vel certa quantitate promiſſa, ideo in caſu alienationis, ea reſciſſa, competit rei vindicatio, *leg. metum* 9. §. 4. *de eo quod metus, leg.* 3. *C. hoc tit.* ut rem vindicet cum fructibus, partibus, & omnibus acceſſionibus, etiam rebus acquiſitis a ſervo per metum occupato, *l. ſed & partus* 12. *ff. de eo quod metus cauſa,* Paulus *l.* 1. *ſententiar. tit.* 7. §. 6. *leg. videamur* 38. §. *item* 6. *ff. de uſuris,* quod proprium eſt reſtitutionis in integrum, *l.* 2. & 3. *ff. ex quibus cauſis majores, l. quod ſi minor* 24. §. *reſtitutio, leg. patri* 27. §. *ſi pecuniam, ff. de minoribus, l. necnon* 28. §. *in actione, ff. ex quibus cauſis, l. videamus* 38. §. *in Faviana; ff. de uſuris, l. in condemnatione* 173. §. *cum verbum, ff. de R. J.* ubi P. Faber, & Gothofredus: nec ſolum fructus percepti reſtituuntur, verum ſi agatur contra eum, qui metum intulit, aut metus participem, etiam illi qui percipi potuerunt, *d. leg. ſed & partus* 12. late docet Cabreros *d. l.* 1. *de metu, c.* 13. Et ſi ſervitutes amiſſæ ſint, reſtituuntur, *l. metum, §.* 7. *in fin. ff. hoc ti.* quod ſi metu quis reum liberavit, reſciſſa liberatione ſuſcitatur priſtina actio cum ſuis acceſſionibus, & pignoribus, *l. illud* 10. §. 1. *ff. de eo quod metus;* non tamen reſtituitur directa actio, quæ ſemel amiſſa reſtitui non valet, *l. qui res* 98. §. *aream, ff. de ſolut.* ſed utilis, *l. ſi mulier* 21. §. *fin. ff. de eo quod metus;* & non civilis, ſed prætoria, *l. metum* 9. §. *ſed qui,* & §. *veluti;* quia non poteſt intendi talis priſtina actio, niſi per reſtitutionem: & ad eam petendam quadriennium datur, *lib. ult. Cod. de in integ. reſtit.* & ideo intra quadriennium debet intendi; & in hoc differt hæc nova actio utilis prætoria a priſtina actione directa, qua ſi quis per metum aliquid promiſit, habet exceptionem quod metus cauſa, de qua plura tradit Vultejus *l.* 2. *de judiciis, c.* 7. *n.* 95.

22 **De actione quod metus cauſa.**

Secundum remedium, quod metum paſſo competit, petita in integrum reſtitutione, quæ quodlibet remedium præcedit, ut contra Donellum *d. c.* 38. *v. ex cauſa,* docet Bocerus, *d. t.* 5. *pag.* 961.) eſt actio de eo, quod metus cauſa Prætoria, primo a L. Octavio Prætore edicto ſuo propoſita. Cic. 5. *in Verrem,* Cujac. *in comment. ad tit. ff. de eo quod metus.* Et licet perſonalis ſit, utpote ex delicto deſcendens; *l. item ſi* 14. §. 3. & §. *quod ſi* 11. *l. quod diximus* 16. *in fine, ff. de eo quod metus,* Bocerus *dict. claſſ.* 4. *diſp.* 6. *theſi* 1. quia in rem ſcripta eſt; dixit enim Prætor, *ratum non habebo:* realis tamen dicitur, quatenus opponitur actioni in perſonam. Duarenus *ad tit. de eo quod metus, c.* 3. Pichardus *in d.* §. 27. *n.* 31. & per eam conſequitur metum paſſus quod ſibi abeſt, *l. ſed & partus* 12. *l. item ſi* 14. *ff. de eo quod metus,* ut res videlicet reſtituatur cum ſua cauſa, & cautione præſtita de dolo, *l. metum* 9. §. *ex hoc, ff de eo quod metus;* & ſi res non ſit alienata, ſed metum paſſus obligatus ſit ad dandum, vel faciendum, per hanc actionem conſequitur, ut talis obligatio accepto feratur, *d. l.* 9. §. *ex hoc.* Jubet ergo Prætor per ſententiam interlocutoriam rem reſtitui, aut reum accepto liberari; & ſi uſque ad ſententiam diffinitivam reus non reſtituat, aut accepto ferat, ſuccedit condemnatio in quadruplum, & quadruplatur omne id, quod reſtitui debebat, *l. item* 14. §. *ſi quis non reſtituat,* & §. 4. *ff. de eo quod metus,* §. 27. *Inſt. de action.* ideſt res cum fructibus, & omni cauſa, *d. l. item, §. quadruplatur:* In eo tamen ſimplum ineſt, res videlicet ipſa, vel ejus æſtimatio, *d. l. item ſi* §. *quatenus.* Licet enim reus ab initio ſatisfacere poſſit rem reſtituendo; tamen propter contumaciam, & novum delictum in non reſtituendo, arbitrio judicis ſuccedit condemnatio in quadruplum: nec tunc obſtat textus *in l. qui reſtituere* 68. *ff. de rei vind.* ubi generaliter, & indiſtincte affirmatur, in omnibus actionibus, tam realibus, quam perſonalibus, necnon interdictis reum cogendum eſſe rem reſtituere: & ſi nolit rem reſtituere, manu militari eſſe ab eo auferendam: igitur & in hac actione perſonali, ſive in rem ſcripta, manu militari cogendus erat, qui metum intulit, rem reſtituere. Pro cujus textus interpretatione varia adduxerunt Faber *in ejus ration.* & *l.* 16. *conject. c.* 17. & *decade* 85. *errore* 1. & *decade* 18. *errore* 5. Schiford. *l.* 1. *tr.* 28. *q.* 6. Hunnius *vol.* 1. *diſp.* 18. *q.* 25. & *diſp.* 21. *q.* 51. & *diſp.* 23. *q.* 48. D. Martinus de Larreatigui *l.* 3. *ſelect.* Caldeira *l.* 4. *var. c.* 1. Valentia *t.* 1. *illuſtr. tr.* 2. *c.* 4. *n.* 14. Pichardus *in d.* §. 27. *in fine.* Quoad præſentem tantum difficultatem dicendum eſt, textum illum non procedere in actionibus ex delicto provenientibus, ubi ultra rem pœna imponitur, ut in actione de eo quod metus cauſa; tunc enim potius expedit æſtimationem rei cum triplo conſequi, quam ipſam rem proſequi.

23 **Exponitur l. ſi pignore 22. §. 1. ff. de pignorat.**

Difficilis tamen eſt in hac parte textus *in l. ſi pignor* 22. §. 1. *ff. de pignoratitia,* ubi docetur, quod ſi debitor per metum pignus creditori datum abſtulerit, & ejus metus ratione a debitore conſecutus fuerit creditor quadruplum, non tenetur in ſortem principalem aliquid imputare: ex quo Papiniani reſponſo deducitur, quadruplum in hac actione totdm eſſe pœnam, ideoque non imputari in hanc ſortem, quia quod pœnæ nomine exactum eſt, creditori non redditur, *l. id quod* 74. *ff. de ſolut. l. ſi debitor* 79. *ff. de furtis;* nam ſi in quadruplo æſtimatio contineretur, teneretur creditor eam in ſortem imputare. Hujus textus difficultate oppreſſus A. Faber *de erroribus decade* 81. *errore* 10. exiſtimavit, quadruplum in hoc edicto totum eſſe pœnam. Sed eo omiſſo dicendum eſt cum D. Martino de Larreatigui *l.* 3. *ſelect. c.* 10. in eo textu non quadruplari rem ipſam, vel debitum quantitatis; ſed tantum intereſſe poſſeſſionis, quatenus creditoris intereat pignus poſſidere. Tantum etiam in edicto de eo, quod metus cauſa, quadruplatur quod ablatum eſt; ſi autem a debitore coactus eſſet creditor per acceptilationem liberari, & reſciſſa acceptilatione, quantitatem ſolvere noluiſſet, tunc cum quadruplo erat reſtituenda, ut nulla remaneret actio ad debitum principale, quod in quadruplo inerat, ut docuit Cujacius *l.* 9. *qq. Papin. in d. l. ſi debitori* 79.

24 **De pœna quadrupli.**

Sed ſi inter tempora judicati res reſtituenda ſine facto debitoris perierit, triplum debetur, *l. item* 14. §. *quid ſi homo* 11. *ff. de eo quod metus;* ſi vero ante ſenteniam, quadruplum, ex eodem §. *in verſ. Hæc ſi poſt.* Ratio differentiæ, omiſſis aliis traditis a Duareno *ad tit. de eo quod metus,* Fabro *in ration. ad ipſum* §. & *l.* 19. *conject. c.* 10. & 11. Cujacio *in d. l. item* 14. §. *quatenus,* ex eo provenit, nam ante ſententiam res cum triplo non debebatur: quare ſi re perempta, qui metum intulit, liberaretur, metus maneret impunitus. Cum ergo ad æſtimationem ſuccedat obligatio, & ea per ſententiam quadrupletur, ideo in quadruplum re perempta ante ſententiam manet obligatio: at vero poſt ſententiam, ante tempora judicati, ſi res pereat, quia in judicato non ſolvendo moram non commiſit, & manet actio in pœnam, ideſt in triplum, liberatur a rei præſtatio-

ſtatione, & ejus æſtimatione, ut docet Lyclama l. 7. ecloga 1. quem ſequitur Oſuald. ad Donel. d. c. 38. littera S. Hæc tamen actio in quadruplum tantum intra annum datur, poſt annum vero in ſimplum, l. item 14. §. 1. & 2. ff. de eo quod metus, l. 4. Cod. hoc tit. in quo ſimplo non æſtimatur quanti ea res eſt, ut cum quadruplatur intra annum; ſed quantum juratum fuerit in litem: & hoc caſu admittitur juramentum in litem in actione de eo quod metus cauſa, l. arbitrio 18. ff. de dolo, quam hoc modo accipiunt Donellus d. c. 38. Pichardus in d. §. 27. n. 38. Hunnius ad Treutl. vol. 1. diſp. 11. q. 75. Bachovius ad Fabrum, decade 92. errore 4. Reatigui l. 3. ſelect. c. 11. omiſſis Fabro l. 16. conject. c. 18. & decade 18. errore 6. Schifordeg. t. 1. tr. 25. q. 6. Cabreros de metu l. 1. c. 6. n. 70. qui exiſtimarunt textum illum Triboniani eſſe.

25 In quos hæc actio detur. Cum ergo hæc actio in rem ſit concepta per ea verba, ratum non habebo; ideo datur contra tertium poſſeſſorem, apud quem res reperitur, l. metum 9. §. ult. l. item 14. §. 3. ff. de eo quod metus, l. 3. C. hoc tit. probant Nogureol alleg. 99. n. 210. delinquunt enim poſſeſſores, dum rem per metum extortam domino non reddunt; liberantur autem, ſi res perierit antequam metum agnoverint, l. item 14. §. aliquando 5. l. ſi ipſa 18. ff. de eo quod metus. Faciunt textus in l. qui petitorio 38. ff. de R. V. l. ſi ex legatis 23. ff. de V. O. niſi longi temporis præſcriptione defendantur, l. 3. Cod. hoc ti. Datur etiam in heredes, quatenus ad eos pervenit, ne ex damno lucrum conſequantur, l. metu 9. §. fin. l. item 14. §. in hac, ff. hoc ti. nec intereſt, quod res conſumpta ſit, l. videamus 17. ff. de eo quod metus, ubi Cujac. l. 1. qq. Pauli. Similiter quatenus rei perſecutionem continet, datur heredibus, ceteriſque ſucceſſoribus, l. quod diximus 16. §. 2. ff. de eo quod metus: debet autem qui metu rem vendidit, refundere pretium quod accepit, l. 3. & 4. C. hoc tit. l. quod ſi 24. §. penult. ff. de minor. quo modo intelligitur textus in l. 4. Cod. de pignor. ubi conſtituto pignore per vim, ut pignus conſequatur, debet debitum ſolvi, niſi dicamus cum Gothofredo, ibi littera L. metum gravem in eo textu non intercesſiſſe, ſed tantum creditorem noluiſſe pecuniam credere, niſi ſub pignore: quo caſu ſi debitor poſtea velit pignus recuperare, quaſi per vim, aut metum conſtitutum, non eſt audiendus, ut in l. non idcirco 12. C. de reſcind. vendit. Hæc omnia procedunt, niſi metus illatus ſit a poteſtate, ſeu officium publicum exercente, quia ille pretium amittit, l. ſi per impreſſionem 11. C. hoc tit. ſiquidem illis, qui publicum officium gerunt, prohibitum eſt prædia emere in propria provincia, l. non licite 3. l. qui officiis, ff. de contrahend. empt. Cujacius ad tit. C. de reſcind.

26 Traditur ratio decidendi. His animadverſis pro exactiori expoſitione hujus tituli, & edicti de eo, quod metus cauſa, jam apparet vera ratio præſentis deciſionis; cum enim in præſenti ſpecie agatur de profeſſione in monaſterio emittenda, quæ ex ſua natura petit ſpontaneam voluntatem, & deliberatam; ideo metus gravis, mortis videlicet, reddit eam nullam ipſo jure. Accedit, nam omen eſt in ſacrificiis, bonum quidem, ſi hoſtia ultronea ſe offerat: malum ſi renuens & coacta offeratur: quare apud Gentiles non admittebatur ſacrificium animalis, quod retraheretur, aut invitum traheretur. Plinius l. 8. c. 45. ibi: Nec claudicante, nec aliena hoſtia Deus placari, nec trahente ſe ab aris. Silius Italicus l. 5.

Nec rauco taurus ceſſavit flebili ad aras
Immugire ſono.

Macrobius l. 3. Saturn. c. 5. „ Obſervandum eſt a ſacrificantibus, ut ſi hoſtia, quæ ad aras duceretur, fuiſſet vehementius reluctata, oſtendiſſetque ſe invitam altaribus admoveri, amoveretur, quia invitam Deo offerri eam putabant; quæ vero ſtetiſſet oblata, hanc volenti numini dari exiſtimabant. „ Illuſtrant Briſſon. lib. 1. de formulis, pag. 17. Gaſpar Sanch. in Iſaiam, c. 43. n. 37. Ambianas ad Tertul. in apolog. c. 5. in fin. Tiraquellus ad Alex. l. 3. dier. gen. c. 6. Delrio ad Senecam in Medea, pag. 195. igitur ſi hæc voluntas attendebatur in ſacrificiis Diis Gentilium offerendis, quanto magis improbari debet ſacrificium ſui ipſius vero Deo offerendum per vim & metum, abſque libera & ſpontanea voluntate. Faciunt alia, quæ dabimus in c. 1. de regul. & infra adducemus de voto metu facto.

27 Diſſolvitur prima difficultas. Nec obſtant difficultates ſupra pro dubitandi ratione adductæ. Non prima, in qua dicebamus, baptizatum etiam metu gravi, teneri fidem catholicam in baptiſmo profeſſam obſervare; nam licet Franc. Hall. de ſacris elect. ſ. 5. c. 1. §. 4. Feloaga in præſenti, pag. 68. exiſtimaverint, baptiſmum metu receptum valere, tum propter impreſſionem characteris, tum quia fidei obſervantia oneroſa non eſt: contrarium tamen ut verum tenendum eſt, videlicet baptiſmum metu gravi collatum nullum eſſe, quia nemo cogendus eſt ad ipſum recipiendum, c. de Judæis, 45. d. c. ad fidem 25. q. 3. c. ſicut 15. de Judæis, Cabreros de metu l. 1. c. 17. n. 50. Plura dabimus in d. c. ſicut Judæi. Nec tunc obſtat canon Conc. Tolet. relatus in d. c. de Judæis: cui ſatisfaciendum eſt cum doctrina Alex. III. in c. majores, §. item, de Baptiſmo, in illis verbis: „ Invitum ab invito, & coactum a coacto, ut qui terroribus compulſus, ne „ detrimentum incurrat, baptiſmi ſuſcipit ſacramentum, talis „ ſicut qui ficte accedit, characterem ſuſcipiat Chriſtianitatis, „ & ipſe tamquam conditionaliter volens cogendus ad obſervantiam fidei Chriſtianæ. “ In quibus proponitur diſcrimen inter vim, & vim; quod etiam agnovit Alex. III. in c. de muliere, de ſponſal. & etiam docetur, ut coactus vi gravi, & metu cadente in conſtantem virum, non cogatur fidem profiteri; coactus vero metu levi, teneatur fidem obſervare. Nec obſtat primum argumentum ipſius difficultatis, deductum ab exemplo juramenti, cui ſatisfaciemus in c. 3. hoc tit. Nec ſecundum argumentum adverſatur; verum enim eſt, metum a cauſa libera incuſſum, non cauſa extorquendi conſenſum, irritare actum eo metu geſtum: at in præſenti ſpecie fuit metus injuſte incuſſus eo animo, ut mulier ingrederetur religionem; ſiquidem milites & cognati ipſius mariti, jam gladiis arreptis, & evaginatis propoſuerunt mulieri, ut ingrederetur monaſterium, ſi vellet mortis imminentis effugere periculum. Unde metus gravis, & cauſa extorquendi conſenſum ad religionis ingreſſum fuit incuſſus; quare profeſſio inde ſecuta ipſo jure nulla fuit.

28 Diſſolvitur ſecunda difficultas. Nec obſtat ſecunda difficultas ſupra adducta; nam quæ huc uſque in hoc commentario de metu adduximus, procedunt, niſi poſtea metus purgetur per novum conſenſum; veluti ſi quis metu gravi rem promittat, & poſtea ex eadem obligatione ſpontanee ſolvat, l. fin. §. fin. C. hoc tit. ſecus ſi adhuc perſeverante eadem metus cauſa, l. item 14. §. fin. ff. de eo quod metus cauſa, Nec contrarium probat textus in l. ex ea 7. ff. de cond. ob turp. cauſ. cujus interpretationem proſequuntur Donellus l. 15. comm. c. 38. Pichardus in d. §. 27. de act. Purgatur autem metus per actus externos priori contrarios, l. ſi mulier, juncta gloſ. ibi, ff. de eo quod metus, l. fin. ff. de liberis exhib. c. cum virum, c. ſignificatum, de regul. aut per lapſum temporis, ut ſi intra 14. annum non reclamaverit, c. ſi quis ante, eod. titul. quod hodie protractum eſt a Patribus Concilii Trid. ſi in caſu matrimonii carnalis ad annum & dimidium, ſ. 25. de reform. c. 19. Docent Cabreros l. 1. de metus c. 10.

29 Exponitur novell. 134. Juſt. Sed adverſus hanc aſſertionem opponi ſolent textus in c. 2. Gonſaldus 17. q. 2. cujus interpretationem adduxi in c. 3. de renunt. c. ſicut, de regul. c. dudum de converſione conjug. quorum & aliorum interpretationem dabimus in c. 1. de regul. Nunc exponenda eſt difficilis Juſtiniani conſtitutio in novella 134. ut nulli judicum, §. ſi quando, in illis verbis: „ Sed hodie adultera „ verberata in monaſterium mittitur, quam intra biennium „ viro recipere licet; biennio vero tranſacto, vel viro prius „ quam reducat ream, mortuo, adultera tonſa, monaſtico habitu ſuſcepto, ibi dum vivit, permaneat. „ Ex quibus verbis aperte conſtat, adulteram debere religionem ingredi, atque in monaſterio profiteri, a quo poſt biennium nec vivente nec mortuo marito exire licet: igitur in præſenti adultera monaſticam vitam profeſſa, etiam mortuo marito, prætextu metus exire non poterat. Pro cujus textus expoſitione ſciendum eſt, olim in delicta lapſos, & facinoroſos, tam clericos, quam laicos, mares, & feminas, pœnitentiæ peragendæ cauſa in monaſteriis detruſos fuiſſe, ut ibi morarentur, & pœnitentiam acciperent, c. ſi quis clericus, d. 81. c. ſi ille, d. 50. c. inter, de purgatione canonica, c. puella 20. q. 1. c. viduas. c. ſi qua monacharum, c. pervenit, 27. q. 1. Conc. Agathenſe can. 50. Epaunenſe ſub Hormiſda c. 22. Præcipue hæc detruſionis pœna adulteris imponebatur, tam viris, Conc. Aurel. 3. can. 7. ubi de clerico adulterii convicto ſtatuitur: Depoſitus ab officio, communione conceſſa, in monaſterio toto vitæ ſuæ tempore detrudatur; & c. 2. de adulteriis: quam etiam feminis, cap. gaudemus, de converſione conjug. Plura cumulavit P. Faber l. 3. ſemeſtrium, c. 21. Sed hæc detruſio in monaſteriis non inducebat profeſſionem, nec in monaſteriis relegati monachi fiebant, ſed tantum ut pœnitentes ibi detrudebantur. Conc. Tol. 8. can. 6. ibi: „ Sub pœnitentiæ oneribus monaſteriis relegari; & can. 7. Monaſterii clauſtris ſub pœnitentia retrudi. Matiſcon. 2. can. 16. Trudi in „ cœnobiis; & ibi: Uſque ad extremum vitæ permanere. Cabilon. 2. can. 4. Agendæ pœnitentiæ cauſa in monaſterium „ mitti. “ Probant, & de hac detruſione monaſterii plura adducunt Boſquetus ad Innoc. l. 1. ep. 130. Hallier. de hierarch. juriſd. pag. 274. & 281. Lindembrogius in gloſſario, verb. Monaſterium pœnitentiæ, Hurt. t. 2. de reſid. pag. 538. Gibalinus de clauſura, diſq. 3. c. 2. §. 2. & 3. Unde in dicta novella Juſtiniani, quæ reperitur in authentica, ſed hodie, C. de Epiſcopis & clericis, detruſio adulteræ in monaſterium non importat profeſſionem, ſed tantum relegationem pœnitentiæ peragendæ cauſa, ut jam notarunt Petr. Greg. l. 15. ſyntag. c. 18. Illuſtriſſimus Zerda in Judith, academ. 27. ſ. 1. n. 10. In præſenti autem caſu milites, & mariti cognati intendebant mulierem adulterii ſuſpectam in monaſterio vitam monaſticam profiteri debere, & tamquam vere monialem, etiam defuncto marito, ut conſtat ex illis verbis, permanere debere, quod repugnat naturæ profeſſionis monaſticæ, quæ petit liberam, & ſpontaneam voluntatem, juxta ſupra tradita.

C A P U T II.

Idem *Vvigornien.* a *Epiſcopo.*

ABbas b Sancti Eadmundi, a quo R. præſentium lator patrimonium ſuum tenere dignoſcitur, milites ſuos, & c Burgenſes ad domum prædicti R. ſicut accepimus, miſit, qui eum a domo, & ab univerſa ſua d poſſeſſione expellerent, niſi Eccleſiam ſuam penitus e abjuraret. Quod cum idem R. tali modo coactus feciſſet, Abbas præſcriptam Eccleſiam alii conceſſit. Unde quia quæ metu & vi fiunt, de ratione juris, & ordine in irritum debent revocari: f. t. per A. ſ. m. quat. prædicto R. omnia cum f integritate reſtituas.

NOTÆ.

1 a Vvigorn.) Ita etiam legitur in prima collectione, ſub hoc tit. c. 2. & poſt Conc. Lat. ſub Alex. III. p. 22. c. 7. De Eccleſia Vvigornienſi nonnulla adduxi in c. noſti, de elect.

b S. Eadmundi.) Ita legendum eſt, vel Edmundi, non vero Cadmundi, ut vulgo legitur in Decretalibus: eſt enim hoc monaſterium in Anglia in Comitatu Cantabrigiæ, Canonicorum regularium, magnis redditibus ditatum ab Edmundo primo Rege hujus nominis Angliæ, ut refert Pennotus l. 2. hiſt. canonic. regul. c. 37. pag. 390. Illum Regem Edmundum appellat Richardus Smitheus in floribus Angliæ, anno 940. Aedmundum Baronius in martyrol. die 30. Novembris, & Surius t. 6. in eodem die: unde juxta hanc hiſtoricorum varietatem aliquando monaſterium hoc dicitur Eadmundi, ut in præſenti; aliquando Edmundi, ut in c. ex parte, de ſponſalibus.

2 c Burgenſes.) Burgenſes dicti ſunt a Burgis. Burgi autem appellantur domicilia, ſeu mœnia modica muris non cincta. Vegetius l. 4. de re milit. c. 10. de quibus in l. 6. C. de fundis rei privat. l. 2. C. de off. Præfecti Africæ, l. 2. C. Theod. de his qui condit. prop. Luitprandus l. 3. de reb. per Europam geſtis, c. 12. ibi: Et quoniam ipſi domorum congregationes, quæ muro non clauduntur, burgum dicunt. Burgos crebra per limitem habitacula conſtituta appellant Oroſius l. 7. c. 22. Iſidorus l. 9. etymolog. Paulus Diaconus in valet. Sidonius carmine 22.

Cernere jam videor, quæ ſint tibi Burge futura,
Divitias ſic namque domus de flumine ſugunt,
Splendenteſque ſedent per propugnacula thermæ.

Hinc Burgarii dicti, qui in his burgis habitant, ut probat Gothofredus in l. un. C. Theod. de Burgariis; & etiam Burgundiones inde dictos, ex Iſidoro, & Luitprando probat Petrus Pitheus l. 1. adverſ. c. 4. Hinc etiam Burgenſes dicti. Fridericus Imper. l. 1. conſt. Sicul. tit. 9. in illis verbis: „ A tenore etiam „ præſentis ſanctionis eximimus milites, & filios militum, & „ Burgenſes. Et l. 2. tit. un. ibi: Pro milite ſimplici 30. pro „ Burgenſi 12. pro ruſtico 6. auguſtales conſequetur. “ Notavit Steuchius ad Vegetium d. l. 4. c. 12. Sed cum plures Burgi ſimul conjungerentur, civitates, imo & Metropoles Burgi dictæ fuerunt, quare Burgenſes pro civibus accipiuntur apud Car. ep. 101. 136. & 263. Gofridum Vindocinenſem l. 1. ep. 17. ut ex eis notant Boſquet. ad Innoc. III. l. 1. ep. 1. Cir. in 2. compil. ad c. 1. de adult. Gerardus Voſius de vitiis ſerm. l. 1. c. 3. Beyerlinch in theat. t. 2. verbo Burgi. Burgenſes autem, de quibus in præſenti, degebant in Burgis monaſterio S. Eadmundi ſubjectis, & milites vaſſali erant ipſius monaſterii.

d Poſſeſſione.) Ideſt ab omni re mobili intra domum exiſtente. Plerumque enim res mobilis pro poſſeſſione accipitur, quia in ea proprie datur poſſeſſio. Unde cum Rodericus terretur amiſſione proprii patrimonii, vel ejus majoris partis, juſto metu compulſus reſignavit beneficium; nam metus gravis, ideſt cadens in virum conſtantem, incutitur ex amiſſione majoris partis bonorum, c. frequens, de reſtit. ſpol. l. 6. l. iſti 8. §. ſi is, ff. de eo quod metus cauſa. Docent Flamin. Pariſ. de reſign. benef. l. 13. c. 1. n. 154. Donellus d. c. 38. ubi Oſuald. litt. I, Covarr. de ſponſ. 2. part. c. 3. §. 4. n. 30. Pichardus in §. item 27. nu. 17. de actionib. Cabreros l. 1. de metu, c. 8. n. 33. 3

e Abjuraret.) Abjurare eſt jurejurando renuntiare, aut juramento negare. Symmachus l. 2. ep. 86. Hiſpanienſis prædii ſui partem pretii emptor abjurat. Ubi notavit Juretus. Servius ad illud Virgilii l. 8. Æneid. Boves abjurate: notavit Baptiſta Hanſenius de jurejur. c. 3. Unde abjurare Eccleſiam eſt juramento firmare, ſe nunquam eam recepturum, cap. 3. & 4. de reſtit. ſpol. abjurare uxorem, juramento promittere ſe nunquam cum ea cohabitaturum, c. cum haberet, de eo qui duxit, c. 2. ne clerici, vel monach. cap. 2. de his qui filios: abjurare adulteram, jurare ſe nunquam ad eam rediturum, c. penult. de adulteriis: abjurare provinciam, ideſt ſe nunquam in eam profecturum, c. 3. de crimine falſi: abjurare hæreſim, juramento promittere, ſe nunquam in eam reverſurum, c. ad abolendam de hæreticis, c. accuſatus in principio, eod. tit. l. 6. 4

f Cum integritate.) In hoc enim edicto omnia reſtituuntur cum fructibus, & acceſſionibus, ut ſuperiori commentario probavi.

C A P U T III.

a Clemens III.

AD aures noſtras te ſignificante pervenit, quod electus quidam in b Plebanum Eccleſiæ cujuſdam, quæ ad tuam diſpoſitionem pertinet, ad terrorem laicorum renuntiavit electioni, quæ fuerat a clericis, uno c excepto, unanimiter celebrata. Is autem, qui diſſenſit, ante electionem ad Sedem Ap. appellationis vocem emiſit. Ideoque conſulere voluiſti, ſi renuntiatio facta ad terrorem laicorum impediat quominus ad regimen prædictæ Eccleſiæ is, qui prius fuerat electus, aſſumi debeat: & ſi ejus appellatio valeat, qui ſe non electurum juravit, & ne alii eligerent appellavit. Tuæ igitur diſcretioni litteris præſentibus innoteſcat, quod renuntiatio facta in manu laicorum ad ipſorum terrorem, niſi forte juramento, vel d fide interpoſita ſit confirmata, non impedit quominus, is, qui renuntiavit Eccleſiæ, ad cujus regimen prius electus fuerat, præficiatur: pro contradictione autem, vel appellatione ejus, qui ſe non electurum publice confeſſus eſt juraſſe, non eſt electio ab aliis celebrata canonice irritanda.

NOTÆ.

1 a Clemens.) Ita etiam habetur in ſecunda collectione, ſub hoc tit. c. 1. Ex nulla tamen conſtat, cui Prælato in præſenti reſcribat Pontifex, ex ipſa autem ſecunda collectione ita textum reſtituo.

b Plebanum. Ideſt Parochum, ut jam notavi in c. un. de off. Archipresbyt.

c Uno excepto.) Et ſic a majori parte, c. quia propter, de el.

2 d Fide.) Fidem præſtare pro jurejurando accipitur in præſenti, & in c. 9. c. querelam, de jurejur. apud Livium l. 1. ibi: Ea pietate omnium pectora imbuerat, ut fides ac jusjurandum, propulſo legum, ac pœnarum metu, civitatem regerent. Unde Fidem inter Numina Romani coluerunt, & illi in Capitolio templum ſacrarunt. Alex. ab Alex. l. 2. dierum gen. c. 22. ibi: Fuere autem Termini, & Fidei templa juxta ædem Jovis optimi maximi, primum a Numa conſtructa. Cujus templi meminerunt D. Auguſtinus l. 4. de civitate Dei, c. 10. ubi plura Vives. Horatius l. 1. carminum, od. 35. Illuſtrant Tiraquellus ad Alex. ubi ſupra, Baptiſta Hanſenius de jurejur. c. 1. Lælius Mancin. genial. c. 209. apud Catholicos vero promittentem, vel aliquid aſſerentem ſub hac formula: Per fidem meam; intelligendo per fidem non aliam, quam humanam, ſive fidelitatem ipſius hominis loquentis, non videri juraſſe, tenent Cajetanus 2. 2. quæſt. 89. art. 6. Sotus l. 9. de juſtit. qu. 1. art. 6. Covarr. in c. quamvis, p. 1. §. 2. n. 2. Leſſius de juſtit. c. 42. n. 4. Suarez de relig. l. 1. de jur. c. 13. Valentia in 2. 2. diſp. 7. q. 7. puncto 2. Azor. t. 1. Inſtit. l. 11. c. 3. q. 1. Sanch. l. 7. matr. diſp. 79. n. 29. & l. 3. ſumma, c. 2. n. 32. Theophilus Raynaud. t. 14. in Heteroclita, puncto 1. ſ. 57. Et de fide præſtita per manum dextram, plura congeſſerunt Cabreros lib. 2. metu, c. 6. n. 13. Grotius de jure belli, l. 2. c. 13. n. 22. & nos in c. 2. de fidejuſſoribus.

C A P U T IV.

Innocentius III. *Epiſcopo* a *Linconien. & ejus collegis.*

AD audientiam noſtram dilecto filio Magiſtro Helia de Chevelle ſignificante pervenit, quod cum Eccleſiam de Chevelle auctoritate Sedis Apoſtolicæ canonice fuiſſet adeptus, & aliquamdiu pacifice poſſediſſet, graviſſimo tamdem Regis metu, quod eam reſignaret jurare coactus, eam in eorum, ad quos pertinebat, manibus reſignavit. Quia vero quæ vi, metuſve cauſa fiunt, carere debent robore firmitatis; diſc. veſtræ per Ap. ſ. m. quat. ſi eumdem Magiſtrum eo metu ad reſignationem faciendam vobis conſtiterit fuiſſe coactum, qui potuerit & debuerit cadere in conſtantem virum, non obſtante juramento prædicto, quo non ad repetendum, ſed ad reſignandum ſolummodo tenebatur, præfatam Eccleſiam ei per cenſuram eccleſiaſticam, ſublato appellationis obſtaculo, reſtitui faciatis: nullis litteris veritati, & juſtitiæ, &c. Quod ſi non omnes, &c. duo ex his, &c. Datum Lateranis nonis Februarii.

NOTÆ.

1 a Lincon.) Ita etiam legitur in tertia collectione, ſub hoc tit. c. 1. & in epiſtolis Innocentii III. Coloniæ editis, f. 440. ex quo regeſtro litteram reſtituo. De Eccleſia Linconienſi egi in c. 8. de reſcriptis.

COMMENTARIUM.

1 HÆc jura, ſi rectius perpendantur, diverſa potius ſunt, quam contraria: & ut ea exponamus, duplex quæſtio examinanda eſt. Prima, utrum renuntiatio, ſeu reſignatio beneficii metu gravi facta, ipſo jure nulla ſit; an vero ſubſiſtat, etſi poſtea irritetur? Secunda, utrum talis reſignatio juramento firmata adeo valida ſit, ut beneficium reſignatum amplius reperi nequeat? Et in prima quæſtione renuntiationem metu factam ipſo jure ſubſiſtere, ſed poſtea irritari, probatur ex c. 2. hoc ti. in illis verbis: Quatenus prædictum Rod. cum integritate reſtituat. Et c. cauſam 3. de re jud. in 2. coll. in illis verbis: „ Si vobis conſtiterit aliquam perſonam medio tempore me-

„ mora-

„ motatam Eccleſiam, ut prælibatum eſt, tenuiſſe, & eumdem clericum ſuam poſſeſſionem, & violentam per manum laicam ejectionem, & partis adverſæ intruſionem probaſſe, omni oc. & ap. ceſſ. Eccleſiam ipſam cum fructibus inde perceptis eidem reſtituatis. “ Eam defendunt Flaminius *de reſignat. l. 13. q. 20.* Azor *2. p. inſt. mor. l. 7. c. 16. q. 2.* Garcia *de ben. p. 11. c. 3. n. 143.* Sanchez *de matr. l. 4. diſp. 8. n. 5.* Barb. *in c. ſuper 5. n. 3. de renunc.* Bajo-Arroyo *in c. ſi vero, & in c. Quintavallis, n. 109. de jurejur.* Luna, & Arellanus *l. 1. ſingul. antinom. 14.* Contrariam tamen ſententiam, imo ipſo jure renuntiationem beneficii metu gravi factam nullam eſſe, docuerunt plures congeſti a Ruſiniaco *de beneficiis, c. 19. n. 5. & 6.* Cabr. *de metu l. 2. c. 14. n. 54.* Valenſis *de beneficiis l. 3. tit. 13. num. 18.* pro quorum ſententia faciunt textus *in c. ad aures, de renunt.* ubi poſſeſſor beneficii, qui illud ex metu gravi renuntiavit, percipit fructus ipſius beneficii: igitur quia renuntiatio ipſo jure nulla fuit, alias ſi valuiſſet, beneficium vacaſſet, *c. ſuper hoc, de renunt. c. ſuſceptum, de reſcriptis in 6.* Deinde facit textus in Clementina *Multorum, §. ſane, de pœnis,* in illis verbis: *Nullius etiam decernimus eſſe firmitatis.* Accedit & illa ratio; nam electio eccleſiaſtica metu gravi facta, eſt ipſo jure nulla, *c. ubi periculum, de elect. in 6.* igitur & renuntiatio, cum contrariorum eadem ſit ratio, & diſciplina. Hac igitur opinione retenta non obſtant textus *in d. c. hoc tit. c. 3. de re jud.* nam in illis juribus jubetur Eccleſiam reſtitui ei, qui per metum reſignaverat, quia non ſolum reſignatio ex metu gravi facta præceſſerat, verum & extraneo adjucata erat ipſa Eccleſia, & ipſe in poſſeſſionem intruſus: quare factum ipſum intruſionis irritatur; renuntiatio vero metu facta ipſo jure nulla fuerat. Difficilior eſt alia quæſtio, utrum videlicet talis renuntiatio metu facta, juramentoque firmata, valida ſit? In qua quæſtione affirmativa ſententia probari videtur *ex c. ad aures, hoc ti.* in illis verbis: *Niſi forte juramento, vel fide interpoſita ſit confirmata.* Quæ verba aperte ſuadent, juramento accedente renuntiationem metu gravi factam valere. Deinde *ex c. ad audientiam, hoc tit.* in illis verbis: *Non obſtante juramento, quo non ad repetendum, ſed ad reſignandum ſolummodo tenebatur.* Igitur ſi juraſſet, ſe non repetiturum, renuntiatio vires haberet. Contrarium tamen videlicet renuntiationem etiam juramento vallatam nullam eſſe, probatur *ex c. 2. hoc tit.* ſi expendatur proprietas verbi *Abjuraſſet,* junctis ibi notatis. Deinde *ex c. 3. de reſt. ſpol.* & *ex c. pervenit 10. de off. deleg. in 1. collect.* in illis verbis: *Juramento præſtito refutaſſe.* Ex quibus conſtat, non obſtante jurejurando renuntiationem metu factam non valere. Pro cujus diſſidii conciliatione dicendum eſt, renuntiationem metu gravi factam, & juramento firmatam, non valere, & beneficium ita abjuratum repeti poſſe petita relaxatione jurisjurandi; vires autem habere, ſi relaxatio non petatur. Unde textus, qui affirmant renuntiationem etiam juramento firmatam non valere, accipiendi ſunt petita relaxatione juramenti; alii vero, qui negant tale beneficium repeti poſſe, procedunt non repetita relaxatione juramenti. Quam diſtinctionem amplectuntur Gaillus *lib. 2. obſert. cap. 47.* Covar. *in 4. part. 2. c. 5. num. 7.* Feloaga *in capit. 1. hoc tit. num. 88.* omiſſis diſtinctionibus traditis a Caniſio *in cap. 2. hoc tit.* Arellano *de antimonia 15.*

C A P U T V.

Idem a *Nidroſien. Archiepiſcopo.*

SAcris canonibus: *b Et infra*: Diſtinguimus autem, utrum is qui communicat excommunicatis invitus, ſit per coactionem attractus, an per metum inductus. In primo ſiquidem caſu non credimus excommunicatione teneri, cum magis pati, quam agere convincatur. In ſecundo vero licet metus culpam attenuet: quia tamen non eam prorſus excludit, cum pro nullo metu debeat quis *c* mortale peccatum incurrere, talem excommunicationis labe credimus inquinari.

N O T Æ.

1 a NIdroſienſi.) Ita legitur in tertia collectione, *ſub hoc ti. c. 2.* in ſexta vero legitur *Vidron.* ſed male, ut jam notavit Boſquetus *in notis ab Innoc. III. l. 2. regeſtr. 14. ep. 72.* De Nidroſienſi diœceſi nonnulla notavi *in c. quod in dubiis, de renunt.*

b *Et infra.)* Verba quæ in præſenti deſunt, reperiuntur *in c. ſacris, de ſepulturis, c. ſacris de ſentent. excom.* ubi aliæ partes hujus deciſionis ſunt.

2 c *Mortale peccatum.)* Ex his verbis ita generaliter prolatis, probari videtur, per communicationem cum excommunicato etiam in humanis, mortalem noxam incurri, quod & probari videtur *ex c. rogo 25. 11. q. 3. c. exceptionem 12. de except. c. ſi vero 24. de ſententia excommunicationis*: & docent Joann. Andreas *in præſenti, q. 5.* Barb. *de cenſuris, in 4. d. 35. q. 1. diſp. 4. c. 2.* Illud tamen extra controverſiam eſt, communicantem in divinis lethalem culpam incurrere, ut docent poſt D. Th. *in 4. d. 18. q. 2. art. 4.* Covarr. *in c. alma, 1. p. §. 3. n. 7.* Barb. *in præſenti, n. 4.* Gibalinus *de cenſuris, diſquiſit. 7. q. 9. ex n. 9.* Diana *5. p. tr. 5. reſol. 21. & tr. 9. reſ. 2. & p. 7. tr. 11. reſol. 47.* Greg. Lopez *in l. 33. verbo En la menor, tit. 9. p. 1.*

C O M M E N T A R I U M.

3 Concluſio deducitur & probatur.

QUi *per vim præciſam abſolute coactus excommunicato communicat, nullam excommunicationem incurrit: ſecus ſi metu conditionali.* Probant eam textus *in c. Presbyteros, §. qui autem, 50. d. c. conſtat 1. q. 1. c. ita 32. q. 1. c. eos, de conſecr. d. 4. c. contra, de hæreticis in 6.* Illuſtrant ultra congeſtos a Barb. *in præſenti,* Luna & Arellanus *l. 1. antinom. 15.* Frechilla *de ſent. excom. 3. p. n. 11.* Cabreros *de metu, l. 2. c. 31. ex n. 35.* Boſquet. *ad Innoc. l. 2. ep. 72.* Balboa *in c. 2. de exceptionibus, n. 68. & in c. exceptionem 17. n. 24. eod. tit.* Gibalinus *de cenſuris, diſquiſit. 7. q. 9. p. 2. in fin.* Ricciulus *de jure perſonarum, l. 4. c. 44. per totum,* Vega *in c. intelleximus, n. 117. de judiciis,* Balboa & Freitas *ad hunc textum.*

4 Impugnatur præſens deciſio.

Sed tota hujus textus contextura merito juris Interpretibus difficilis viſa eſt; ſiquidem in ea aſſeritur, communicantem cum excommunicato metu conditionali, excommunicationem incurrere; quod juris principiis contrarium videtur: nam aut ita communicans incurrit eam cenſuram propter lethalem culpam in ipſa communicatione contractam, quæ neceſſaria eſt ad incurrendam excommunicationem, *c. nemo, c. nullus, 11. q. 3.* aut propter contumaciam, quæ deſideratur ad hoc, ut quis excommunicationem incurrat, *c. quiſquis 2. q. 6. c. Romana, c. alma; de ſent. excom. l. 6. c. 1.* ibi: *Contumacia reprimatur, de except. eod. l. 6.* Sed ille, qui coactus communicat cum excommunicato, nec peccatum lethale committit, nec contumax eſt: igitur nec cenſuram incurrit. Probatur minor; nam lex poſitiva aliquid præcipiens, aut prohibens, non obligat cum periculo vitæ: nec qui metu mortis legem poſitivam tranſgreditur, peccat, *c. ex parte 47. de appell. c. 1. de obſerv. jejuniorum*: probant Axor *t. 3. Inſt. l. 1. c. 11. q. 1.* Suar. *de cenſuris, diſp. 6. ſ. 3. n. 7.* Aragon *2. 2. q. 62. ar. 3. dub. 1.* Covarr. *in c. alma, 1. p. §. 3. n. fin.* plures relati a Ricciulo *d. c. 44. n. 11.* Contumaciam ipſum non incurrere, per ſe notum eſt: igitur nec cenſuram, nec excommunicationem ullam incurrit communicans cum excommunicato metu conditionali. Deinde quod in fine hujus textus docetur, ob nullum metum, etiam mortis peccatum lethale eſſe perpetrandum, difficile redditur *ex c. ex parte 11. de ſepulturis,* ubi mulier, quæ ob metum amittendæ virginitatis ſe præcipitavit e ponte, admittitur ad ſepulturam eccleſiaſticam: igitur quia propter metum gravem excuſatur quis a culpa. Id etiam probatur *ex c. officii, de pœnit. & remiſſ.* ubi quæ metu mariti partum ſuppoſitum non declaravit, admittitur ad pœnitentiam: igitur quia metu mortis poteſt peccatum mortale perpetrari.

5 Communicatio cum excommunicato prohibetur.

Quibus difficultatibus minime obſtantibus vera eſt præſens deciſio: cujus rationem ut percipiamus, ſciendum eſt, communicantem cum excommunicato majori excommunicatione ligato, minori excommunicatione ligari, non ex juris divini diſpoſitione, ut aliqui non ignobiles Doctores cenſuerunt: ſed tantum ex jure eccleſtaſtico ab Apoſtolis ſtatuto, *c. ſicut Apoſtoli, c. excommunicatos, c. cum excommunicato, c. qui merito 11. q. 3. c. ſignificavit 18. c. nuper 29.* cum aliis, *de ſent. excom. c. cum olim 17. v. Illud, de privilegiis.* Alia juris teſtimonia congeſſerunt Ant. Aug. *in epit. juris, l. 37. tit. 7.* Creſpetius *in ſumma, verbo Excommunicatis non communicandum.* Albaſpineus *l. 1. obſerv. c. 1.* Suarez *de cenſuris diſp. 15. ſ. 3.* Petr. Greg. *l. 4. par. tit. 16. c. 3. & 7.* Boſquetus & Gibalin. *ubi ſupra,* Frechilla *de excom. 3. p. per totam,* Gazeus *in notis ad Caſſianum, l. 2. collat. c. 15.* Ricciulus *d. l. 4. de jure perſon. c. 43.* Spondanus *de Cœmeteriis, p. 1. l. 4. c. 3.* niſi communicatio ſit in divinis officiis, vel cum excommunicato nominatim a Pontifice, vel in ipſo crimine; aut ſi inflicta ſit excommunicatio contra participantes: quibus in cauſis communicans cum excommunicato majorem excommunicationem incurrit, juxta textus ita accipiendos *in c. qui merito 15. q. 3. c. nuper, c. qui concubine, c. ſignificavit,* ubi late Deo annuente dicemus, *de ſent. excom.* Nec contrarium probat textus *in c. excommunicatus 17. 11. q. 3.* in illis verbis: *Simili excommunicationi ſubjacebit.* Ex quibus conſtat, communicantem cum excommunicato, non minori, ſed majori excommunicatione ligari; nam verba illa, *Simili excommunicationi,* accipienda ſunt in genere, non in ſpecie, niſi verba ea referamus ad aliquem ex caſibus ſupra relatis, ad quos etiam referendus eſt textus *in can. 9. Concilii Chartag.* ubi ita Aug. ait: *Si quis Presbyter in communione velit excommunicatum recipere, ipſe quoque æquali crimine obnoxius videatur.* Quo præcepto vitandi excommunicatos, etiam ipſum Romanum Præſulem ligari, jam probavit Præceptor meus, & Hiſpaniæ decus Illuſtriſſimus D. Franciſcus Ramos *in ſyntag. pro Epiſcop. Luſit. propoſ. 4. n. 106.*

6 De variis communicandi modis.

Communicare autem cum excommunicato quis dicitur, cum aliquo ex modis hoc verſu comprehenſis participat, aut communicat.

Os, orare, vale, communio, menſa negatur.

Oris communicatio comprehendit oſculum, omniaque benevolentiæ

lentiæ ſigna, *c. excommunicatus 11. q. 3.* omnem ſermonem cum eo, ſive per verba, *d. c. ſicut Apoſtoli, c. ſi aliquando, c. ſtatuimus, c. conſtitutiones, de ſent. excom. l. 6.* ſive per litteras, ſive per nutum, aut nuntium: cujus communicationis licet non extet in jure canonico expreſſa prohibitio, tamen his modis communicantem cum excommunicato, minorem excommunicationem incurrere, docuerunt Covarr. *in d. cap. alma, 1. p. §. 1. n. 1.* plures cogeſti a Gibalino *ubi ſupra, pag. 280. n. 4.* Leandro *de cenſuris, diſp. 13. q. 9.* Sequitur verbum *Orare,* per quod omnis communicatio cum excommunicato in divinis officiis prohibetur; ut ſimul cum excommunicato orare, Miſſæ ſacrificium cum eo audire, ſeu aliis divinis officiis intereſſe, ut late proſequitur Gibalinus *de cenſuris, diſquiſit. 7. q. 2. per tot.* Præcipue prohibita eſt communicatio cum excommunicato ipſum ſepeliendo, aut ejus ſepulturæ intereſſendo, *c. ſacris, de ſepulturis, c. ſacris, de ſentent. excom. Clement. 1. de ſponſalibus,* Gibalinus *d. diſquiſit. 7. q. 2. pag. 224.* Sepultura enim res ſpiritualis, ſive actio ſpiritualis eſt; unde ſatis videtur cum excommunicato communicaſſe in divinis, qui illum ſepulturæ eccleſiaſticæ tradidit, ut latius dicemus *in c. ſacris, de ſepulturis, verbo Vale*: omnes honorificæ ſalutationes, tam verbo, quam facto prohibentur, *c. omnis 24. q. 1. c. excommunicatos 11. q. 3.* Et licet quoad vulgares honorificas ſalutationes, quales ſunt caput diſcooperire, aſſurgere, via decedere, Interpretes non conſentiant, placet nunc humanior ſententia, quæ affirmat, ob indifferentiam prædictorum actuum, & eorum aſſiduum uſum, non incurri excommunicationem, ut ex Sayro, Avila, & Ricciulo docent Gibalinus *ubi ſupra pag. 280.* Leand. *diſp. 13. q. 181.* Per verbum *Communio,* prohibetur ſocietas, ſeu communicatio in aliquo actu humano, ut expreſſe traditur *in c. omnis 7. q. 1.* & ab Innocentio *in c. nuper, de ſent. excom.* Cujus excommunicationis exempla, & acceptiones tradunt Albaſpineus *l. 1. obſerv. c. 1.* Morinus *lib. 2. exercit. fere per totum.* Menſæ etiam prohibetur communicatio cum excommunicato, *c. excommunicatos, c. cum excommunicato, c. ad menſam, 11. q. 3. d. c. nuper;* late docent Gibalinus *de cenſuris, d. diſquiſit. 7. q. 8. p. 281.* Leander *d. diſp. 13. de cenſuris, q. 30.* & nos de communicatione per participationem menſæ aliqua non injucunda congeſſimus *in c. ad reprimendam 8. de officio Ordin.*

7 Dicta communicatio aliquando permittitur.

Sunt tamen aliqui caſus, in quibus qui communicant cum excommunicatis, etiam majori excommunicatione ligatis, nullam excommunicationem incurrunt, quos *ex c. quoniam 11. q. 3. c. reſponſo, c. cum voluntate, de ſent. excom.* his verſibus complectuntur Doctores.

Utile, lex, humile, res ignorata, neceſſe,
Hæc quinque ſolvunt anathema ne poſſit obeſſe.

Verbo *utile,* ſequentes comprehenduntur caſus. Primus cum datur utilitas ſpiritualis propria excommunicati, ut cum ipſe admittitur ad concionem, ſeu confeſſionem, *c. reſponſo, de ſent. excom.* vel cum illi elargitur eleemoſyna, *d. c. quoniam.* Secundus conſideratur, cum adeſt utilitas propria ipſius excommunicantis; unde poteſt creditor ab eo, tam in judicio, quam extra, debitum petere, *c. intelleximus, de judiciis*: docent Gibalinus *ubi ſupr. d. q. 8.* Leander *d. diſp. 15. q. 1. uſque ad 14.* Sequentibus verbis, *lex, humile,* docetur, non ligari excommunicatione cum excommunicato communicando eos, qui lege matrimonii, patriæ, ſeu dominicæ poteſtatis tenentur cum excommunicato cohabitare, & communicare. Unde uxor communicans cum excommunicato domi viro in menſa, aut debiti ſolutione, non incurrit aliquam cenſuram, *d. c. quoniam, c. inter alia, de ſententia excom.* Idem procedit in filiis legitimis, ſive illegitimis; naturalibus, ſive adoptivis; pupillis cum tutoribus; ſervis, famulis, & vaſſallis cum dominis; militibus cum duce, ut fuſe reſolvunt Gibalinus ubi ſupra, *fol. 291.* Leander *diſp. 15. q. 15. uſque ad 44.* Ignorantia etiam invincibilis juris, vel facti excuſat communicantem cum excommunicato, *d. c. quoniam.* Unde ignorans, aut dubitans aliquem eſſe excommunicatum non toleratum, ſi cum eo communicaverit, non incurrit excommunicationem minorem, ut proſequuntur Gibalin. *ubi ſupr. pag. 312.* Leander *de cenſuris, diſp. 15. q. 54. uſque ad 58.* qui autem communicantes cum excommunicato excuſentur ob neceſſitatem, inferius dicemus.

8 De duplici vi.

Deinde ſciendum eſt, duplicem eſſe vim; alteram præciſam & abſolutam, alteram vero conditionalem, ad quas referri poſſunt, quæ congerunt Abbas, Butrius, & Berojus *in præſenti,* Menoch. *recuperanda poſſeſſ. in præludiis, n. 37.* ubi plura de vi expulſiva, turbativa, ablativa, & aliis retulit. Vis abſoluta eſt, quæ nullum conſenſum patientis admittit, ſed quamdam includit neceſſitatem omnino voluntati oppoſitam, ut ait Ulpianus *in l. 1. ff. de eo quod metus*: ſeu majoris rei impetus, cui reſiſti non valeat. Paulus *l. 1. ſent. tit. 7. §. 7.* docent Cujacius *l. 1. obſervat. c. 20.* Alciatus *l. 1. parag. c. 28. & 33.* de qua vi agitur *in c. majores, §. item quæritur, de baptiſmo.* Alia vero dicitur vis conditionalis, quæ vere metus eſt, cadens in virum conſtantem: exempli gratia quando ex duobus malis ſibi imminentibus, altero periculi inſtantis, altero illius actus, quem fieri intendit is, qui metum intulit, & metum patiens unum, aut alterum eligit propria voluntate & libero arbitrio; indeque receptum eſt, voluntatem coactam, voluntatem eſſe, ut probavi ex Theologis & Philoſophis ſupra *in c. 1.* Illud diſcrimen inter vim præciſam & conditionalem verſatur, quod actus geſtus interveniente vi præciſa, & abſoluta, non eſt voluntarius, & ideo non poteſt ullo modo continere peccatum; actus vero geſtus interveniente vi conditionali, ſeu metu voluntarius eſt, & peccatum continere poteſt.

9 Vera hujus text. interpretatio.

His ſuppoſitis varia pro hujus textus interpretatione adduxerunt Doctores, tam Theologi, quam Juriſperiti. Seraphinus a Freitas *in relectione, ad hunc textum,* veram ejus interpretationem repetit ex hiſtoria ſæculi Innocentii III. ſupponit enim eo tempore ſchiſma in Imperio ſtetiſſe inter Philippum Sveviæ Ducem, Henrici VI. demortui Imperatoris fratrem; & inter Othonem Henrici Superbi Saxoniæ Ducis filium, & Joannis Angliæ Regis ex ſorore nepotem; cui Angliæ Rex, & alii Principes, præcipue Innocentius III. favebant: Philippus vero Galliæ Rex, renuente Pontifice, Moguntiæ coronatus, depoſitus fuit ab Innocentio Tertio, & ejus juſſu Otho Aquiſgrani ab Archiepiſcopo Coloniæ coronatus: & Innocentius excommunicavit Philippum cum omnibus ſuis fautoribus anno 1203. Ex qua hiſtoria deducit Freitas, Regem Norvegiæ ſecutum fuiſſe partes Philippi Regis, & eo tempore plures occubuiſſe in bello inito inter Philippum, & Othonem excommunicatione ligatos, ſævienteque bello plures communicaſſe cum ipſis excommunicatis. Unde conſuluit ipſum Pontificem Epiſcopus Nidroſienſis, an in excommunicatione occumbentes ſepulturæ eccleſiaſticæ eſſent tradendi, & communicantes cum ipſis excommunicatis? Cui conſultationi reſpondet Innocentius *in præſenti, & in c. ſacris, de ſepulturis.* Verum hæc perdocti viri ſententia admitti non poteſt, nec convenit conſultationi factæ ab Epiſcopo Nidroſienſi in præſenti, nec ea hiſtoria admiſſa, inde vera interpretatio hujus textus deducitur: quare ut eam afferamus, obſervo Innocentium Tertium in præſenti agere de communicante cum excommunicato in divinis, videlicet in ejus ſepultura. Quod ſi tam primam partem hujus textus, quam ſecundam, quæ extat *in c. ſacris, de ſepulturis, c. ſacris, de ſent. excomm.* attente perpendamus, facile percipietur, præcipue ſi hiſtoriam illius temporis Eccleſiæ Anglicanæ repetamus. Cum enim ſuper electione Archiepiſcopi Cantuarienſis Joannes Rex Angliæ excommunicatus fuiſſet ab Innocentio Tertio, atque univerſa ejus terra interdicto ſuppoſita, adeo ut defunctorum cadavera inſepulta per agros remanerent, aut in foſſas profanas projicerentur, ut refert Spondanus poſt Baronium *anno 1208. n. 4.* plerumque Regii miniſtri cogebant vi & metu ſacerdotes, & miniſtros Eccleſiæ excommunicatorum cadavera in Eccleſiis cum Pſalmis, & Orationibus tumulare: quare conſultus Innocentius Tertius ab Epiſcopo Nidroſienſi, quid ſtatuendum eſſet de illis, qui per vim & metum excommunicatos ſepelierunt, aut ejus ſepulturæ communicantes interfuerunt? Reſpondet ita communicantes cum excommunicatis per vim præciſam, nullam incurrere excommunicationem; per metum autem communicantem excommunicatione ligari. Cujus deciſionis ratio ex ſupra traditis provenit; nam vis abſoluta, de qua in prima parte hujus textus agitur, omnino voluntati repugnat, omnemque conſenſum ab agente excludit, ut diffinitur ab Ariſtotele *l. 3. Ethic. c. 2.* his verbis: *Violentum eſt, quod ſit ab extrinſeco, paſſo non conferente vim;* ideſt non concurrente aliqua voluntate ad actum violentum: ut ſi quis chriſtianus raperetur ad templum Gentilium, manuſque ejus apprehenderetur, & ſic cogeretur idolis thurificare: quod exemplum propoſuit idem Innocent. III. *in c. majores, §. item quæritur, de baptiſmo,* in illis verbis: „ Sicut nec ille notam alicujus reatus incurrit, qui contradicens penitus, & reclamans, thurificare idolis cogitur violenter; vel ſi quis manu apprehenſa cogatur ſubſcribere. “ Sanch. *l. 4. de matrim. diſp. 1. n. 1.* Unde cum in præſenti caſu intereſſentes excommunicatorum ſepulturæ vi præciſa cogerentur ibi manere, & cum excommunicatis communicare, non quia compellerentur orare, ut antiqui in præſenti putabant; ſiquidem nemo cogi poteſt ea peragere quæ ex animo proveniunt, *l. 4. C. de heredib. inſtit.* ibi: *Potuit enim, quamvis jubente domino, nolle adire.* D. Bernardus *l. 6. de l. arbitr.* ſed adeſſe ſepulturæ in Eccleſia, dum ipſi excommunicati ſepeliebantur; ideo ita communicantes nullam excommunicationem incurrunt, quia ut ait Innocentius in præſenti, magis pati, quam agere videntur. Sicut nullum adulterium committit uxor per vim oppreſſa, *l. ſi uxor 13. §. ſi quis plane, ff. ad legem Jul. de adult.* In ſecundo vero qui communicavit cum excommunicato, quia voluntarie communicavit, cum voluntas coacta voluntas ſit, *l. ſi mulier, ff. de eo quod metus,* excommunicationem incurrit; cum pro nullo metu, etiam mortis, debeat quis lethalem culpam committere, præcipue quæ tendit in contemptum religionis, aut clavium Eccleſiæ, *c. primum, c. ne quis, 22. q. 1. c. ſicut Salus, 32. q. 5.* Facit Juvenalis ibi:

—— Phalaris licet imperet, ut ſis
Falſus, & admoto dictet perjuria tauro;
Summum crede nefas animam præferre pudori.

Plura Petrus Greg. *l. 9. ſyntag. c. 1.* Dorleans *ad Tacitum l. 2. pag. 291.* Lælius Mancinus *l. 1. de triplici juris collat. c. 95.* Merito ergo in hoc ſecundo caſu docet Innocentius, communicantem in ipſa ſepultura excommunicati excommunicationem minorem incurrere; quia quamvis alias ex defectu liberæ voluntatis pœna decreſcat, ut probat Mogollon. *de metu, c. 8. §. 1.* ubi componit Papinianum relatum *in l. 1. ff. de legib.* & Marcian. *in l. 2. ff. eodem,* cum Juliano *l. 2. §. his, qui prohibet, ff. de noxalibus;* tamen in præſenti caſu, cum ex tali communicatione ſequeretur contemptus Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & poteſtatis clavium Eccleſiæ, ideo pena non minuitur.

10 Diſſolvuntur difficultates.

Nec obſtant difficultates ſupra pro dubitandi ratione adductę. Nam prima propoſita ex eo, quod qui gravi metu communicavit cum excommunicato, lethalem culpam non admiſit: ſiquidem lex poſitiva non obligat cum diſcrimine vitę. Unde D. Th. *2. 2. q. 104. art. 5.* aſſerit in his, quæ ad conſervationem hominis ſpectant, non teneri hominem homini obedire, vel obtemperare. Accedunt exempla ex ſacra pagina petita: libro enim